



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Tractatvs Septimvs. De Arcano Trinitatis mysterio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

sen conditionis, tum per modum conditionatæ affirmati. Obiectum per modum conditionis est liberum arbitrium indifferens, & proximè potens determinare se ipsum, & diuinam omnipotentiam ad actum, vel ad omissionem actus; & quia liberum arbitrium constituitur ad hoc proximè potens per cognitionem, per auxilia indifferencia, & per omnipotentiam traditam in manu creaturæ qualitate ultimo complente potentiam proximam liberam; ideo obiectum scientiæ mediæ per modum conditionis est liberum arbitrium præuentum talibus cognitionibus, & auxilijs indifferen- tibus, & qualitate, qua habet in sua manu diuinam omnipotentiam.

11. Obiectum conditionatè affirmatū primo sunt actus liberi, ad quos, posita conditione, liberum arbitrium directè determinaret se ipsum, & diuinam omnipotentiam; & quia liberum arbitrium e. g. se ipsum, & diuinam omnipotentiam determinaret ad efficiendum consensum, ideo obiectum conditionatè affirmatum est, quod liberum arbitrium, si haberet hanc potentiam proximam, determinaret se ipsum, & diuinam omnipotentiam ad efficiendum consensum. Secundò obiectum conditionatè affirmatum sunt actus diuini, per quos Deus si velit purificare, & ponere conditionem, debet illam purificare; & quia si Deus velit purificare conditionem dandi libero arbitrio hanc potentiam proximam, ex qua est secutus consensus, debet illam purificare per decretum prædefinitium, ideo Deus conditionatè affirmat, quod si dederit hanc potentiam proximam, dabit per decretum prædefinitium consensum. Totum igitur obiectum conditionatè affirmatum est: Si dederit hanc potentiam proximam, liberum arbitrium consentiet, & ego illam dabo per decretum prædefinitium consensum; vel, si dederit hanc potentiam proximam, liberum arbitrium dissentiet, & ego illam dabo per decretum prædefinitium dissensum. Porro totum obiectum conditionatè affirmatum est determinatione consequens ad conditionem, hoc est ad potentiam proximam, quæ est indifferens ad determinandum hoc, vel oppositum obiectum conditionatè affirmatum, puta consensum, vel dissensum.

12. Debet aduerti, quod eo ipso, quod ex parte conditionis ponitur aliquid essentialiter connexum cum obiecto conditionatè affirmato, non assignatur obiectum scientiæ mediæ, sed scientiæ simplicis intelligentiæ. Ratio est, quia omnis veritas etiam conditionata, si sit necessaria, est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ; obiectum autem scientiæ mediæ est veritas conditionata contingens; sed eo ipso, quod ex parte conditionis ponatur aliquid essentialiter connexum cum obiecto conditionato, veritas conditionata est necessaria; ergo &c. Probatur, & explicatur minor. Si enim Deus dicat: Si dederit auxilium A, & prædefiniam consensum, liberum arbitrium consentiet, vel si dederit auxilium A, &

permittam dissensum, liberum arbitrium dissentiet, tales veritates conditionatæ sunt necessariæ propter essentialem connexionem conditionis cum obiecto conditionato; ergo sunt obiectum affirmatum, non per scientiam mediæ, sed per scientiam simplicis intelligentiæ; ergo ut assignetur obiectum scientiæ mediæ, omnia essentialiter connexa cum actu libero conditionatè affirmato debent poni ex parte obiecti conditionati, ita ut Deus dicat ex. gr. Si dederit Petro auxilium A, consentiet, & tale auxilium erit efficax, & ego prædefiniam consensum, & dabo auxilium A ex directione scientiæ mediæ de consensu conditionatè futuro.

13. Ad argumentum in contrarium, nego maiorem, & assero instantiam. Posito, quod aliquis euidenter cognoscat se hic, & nunc obligari ad obseruandum aliquod præceptum positium, puta dandi eleemosinam, Deus non potest nolle concurrere cum voluntate ad actum liberum; sed talis cognitio est homini intrinseca; ergo posito aliquo intrinseco homini etiam præcedente actum liberum, Deus non potest nolle concurrere ad actum liberum; ergo etiam posito complemento, per quod voluntas constituitur ultimo potens se determinare, quod complementum cadit sub experientiam, Deus non potest nolle concurrere ad actum liberum. Ex allata instantia patet non esse absurdum, quod posito aliquo creato, Deus non possit negare concursum.

TRACTATVS VII.

De Arcano Trinitatis Mystério.



OSTQVAM S. Thomas primis 26. quæstionibus egit de Deo ut vno, à quæstione 27. vsque ad 43. inclusiue agit de Deo ut Trino, ac de arcano Trinitatis Mystério. Doctrinam S. Doctoris examinabimus quæstionibus, quarum tituli videri possunt in indice initio proposito.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Vtrum in Deo dentur dua processiones ad intra, per quarum unam producatur Verbum, per aliam Spiritus Sanctus.

S. Th. q. 27. a. 1. 2. & 3.

1. Videtur, quod in Deo nulla detur processio realis ad intra. Quidquid enim est in Deo, est ipse Deus, adeoque est à se, & est primum principium; sed enti à se, ac primo principio repugnat, ut sit, ac procedat.

Kk 2

ab

ab alio; eo enim ipso non esset à se, & non esset primum principium; ergo in Deo nihil potest dari procedens ab alio, adeoque non potest dari processio realis ad intra, per quam nimirum procedat aliquid manens in Deo, sed solum possunt dari processiones ad extra, per quas procedant creaturæ extra Deum.

2. Secundò videtur, quod in Deo non dentur duæ processiones, altera Verbi, altera Amoris, seu Spiritus Sancti, sed vna tantum. In Deo enim intelligere, ac velle sunt omnino idem, vt dictum est quæst. 47; ergo vna, & omnino eadem est productio, qua intelligendo, producit Verbum, & qua amando, producit Amorem, ac proinde Verbum, hoc est intellectio producta, est omnino idem cum Spiritu Sancto, qui est amor productus.

3. Tertiò videtur, quod in Deo sint plures processiones, quam duæ. Deus enim per intellectum, & voluntatem non debet esse minus fecundus, quam creaturæ intellectuales; sed creaturæ intellectuales intelligendo producant in sua mente plura verba, & amando producant plures amores; ergo &c.

4. Quartò sicut intellectus, & voluntas diuina habent fecunditatem ad intra, sic diuina omnipotentia debet habere fecunditatem ad intra; ergo præter processionem Verbi, quod procedit per intellectum, & præter processionem amoris, qui procedit per voluntatem, dari debet tertia processio per omnipotentiam.

5. Respondeo ex doctrina Aristotelis 9. Metaph. text. 16. & 1. Ethic. cap. 1. duo dari genera actionum, productionum, & processionum. In primo genere sunt actiones immanentes, quæ ita remanent in agente, vt nihil producant extra ipsum agens, quales sunt visio, auditio, intellectio, amor. In secundo genere sunt actiones transeuntes, per quas producit aliquid extra agens, qualis est actio ædificandi, per quam extra agens producit ædificatum, puta domus, aut templum. Iudæi cum philosophis ethnicis, negant dari in Deo vllas actiones, & processiones immanentes, per quas producat aliquid in ipso Deo, ac solum concedunt actiones transeuntes, ac processiones ad extra, per quas producantur creaturæ extra Deum. Eundem errorem ex Hæreticis sequuti sunt Sabellius, & Arius. Quia verò constat ex Scripturis à Deo Patre procedere Filium, & per Filium Spiritum Sanctum, siquidem Filius Ioan. 8. de seipso dixit: *Ego enim ex Deo processi*; & Ioan. 15. de Spiritu Sancto dixit, *cum venerit Spiritus Sanctus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*; ideo Arius asseruit Filium procedere à Patre processione ad extra, tanquam primam eius creaturam; & iuxta principia eiusdem Arii Macedonius asseruit Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, tanquam secundam creaturam; Sabellius verò docuit Filium processisse à Patre per hoc, quod ipse Pater fuerit

incarnatus, & natus ex Virgine, & sic factus sit Filius; Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, per hoc, quod ipse Pater, & Filius sanctificent homines per dona gratiæ, & sic fiant Spiritus Sanctus, hoc est actu sanctificans; sed vterque hoc est Sabellius, & Arius negarunt aliquid procedere intra Deum. Contra hos errores de fide est dari in Deo duas actiones immanentes, hoc est duas processiones, siue emanationes ad intra, per quarum primam à Deo Patre procedat Verbum; per secundam à Deo Patre, & à Verbo procedat Spiritus Sanctus. Testimonia Scripturarum, quibus probatur hæc veritas, asseruntur quæstionibus sequentibus. Nunc supposita fide, asserenda est ratio, propter quam necesse est, vt in Deo dentur duæ processiones ad intra, & qua suadeatur hanc veritatem non repugnare, sed potius congruere principiis naturalibus, licet per principia naturalia non possit euidenter ostendi. Sic igitur ex principiis Riccardi de Sancto Victore l. 1. de Trinitate, Sancti Augustini lib. 10. de Trinitate cap. 11. & 12. & lib. 9. cap. 4. & sequentibus, & Sancti Thomæ hic quæst. 32. art. 1. possumus ratiocinari.

6. Sicut bonum est diffusivum, & communicativum sui, sic infinitum bonum debet esse infinite diffusivum, & communicativum sui; sed Deus est infinitum bonum; ergo debet esse infinite diffusivus, & communicativus sui; sed Deus ad extra potest se solum effundere, & communicare communicatione finita, & imperfecta; ergo necesse est, vt Deus ad intra se communicet, & diffundat communicatione infinita; sed cum Deus habeat naturam intellectuam, debet se ad intra communicare communicatione propria naturæ intellectuæ; propria autem communicatio naturæ intellectuæ est, vt intelligendo producat Verbum, amando producat amorem; ergo Deus ad intra debet ita se communicare, vt intelligendo producat Verbum, amando producat amorem; sed in natura intellectuæ productiones Verbi, & amoris sunt ita ordinatæ, vt prima sit productio Verbi, secunda sit productio amoris, ita vt amor procedat etiam à Verbo; ergo in Deo productio Verbi, & amoris debent ita ordinari, vt Verbum procedat à Deo Patre per primam productionem, amor autem, seu Spiritus Sanctus procedat per secundam productionem à Deo Patre, & à Verbo.

7. Dices primò: sufficit, vt Deus se communicet infinite communicatione analogâ, per quam aliquid infinite perfectum sit ab ipso, non autem est necesse, vt se infinite communicet communicatione propria, per quam aliquid infinite perfectum procedat, & producat à Deo; sed Deus analogicè se infinite communicat sibi ipsi, ita vt sit à se; ergo ruit totus discursus.

8. Respondeo, quod propter hanc objectionem ratio allata non est demonstrativa.

Sup-

Supposita tamen fide, nego maiorem, ac dico, necesse esse, ut infinitum bonum non solum sit infinite communicet sibi ipsi communicatione analogâ, sed etiam ut se infinite communicet communicatione propria alicui distincto. Hæc enim est natura boni, ut non solum sit bonum sibi ipsi, sed etiam se effundat, & communicet alteri, ut patet inductione; ergo infinitum bonum non solum debet esse infinite bonum sibi ipsi, sed etiam debet infinite se communicare alteri, adeoque procedit argumentum.

9. Dices secundo: eatenus intelligens creatum intelligendo producit verbum, & amando producit amorem, quatenus cum per suam essentiam non sit actualis intellectio, & amor, nec sit intelligens, & amans actu, sed solum potentia, debet producere amorem, quo constituitur amans actu, & intellectiorem, quæ constituitur actu intelligens, quæ intellectio producta vocatur verbum mentis, & significatur verbo oris: sed Deus per suam essentiam est actu intelligens, & amans, imò est ipsa actualis intellectio, & amor; ergo &c.

10. Respondeo, distingo maiorem: & illa, quæ assertur est sufficiens ratio, cur intelligens creatum producat intellectiorem, & amorem, concedo; & est unica ratio, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Persistendo in principio posito, quod bonum est diffusivum sui, intelligens creatum producit verbum, & amorem, non solum ut ipsum intelligens, & amans habeat perfectionem intelligendi, & amandi, sed ut perfectionem intelligendi, & amandi communicet verbo, & amori productis; sed Deus nisi produceret Verbum, & amorem, haberet quidem perfectionem intelligendi, & amandi, sed illam non effunderet, & communicaret Verbo, & amori productis; ergo &c.

11. Ad 1. concedo maiorem, & distingo minorem: enti à se, ac primo principio repugnat, ut sit ab alio secundum essentiam, & naturam, concedo minorem; secundum personalitates; nego minorem; & nego consequentiam. Essentia, siue substantia, & natura diuina, primo, & ratione sui est à se, & est primum principium, ipsique repugnat, ut sit, & procedat ab alio. At eadem essentia diuina, quæ est à se, & non procedit ab alio, est non solum Pater ingenitus, sed etiam Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens à Patre, & Filio secundum personalitatem.

12. Dices: personalitas Filij, & Spiritus Sancti sunt idem cum essentia; ergo si personalitates procedunt, essentia verò non procedit, de eodem verificantur contradictoria.

13. Respondeo, distingo antecedens: sunt idem cum essentia sine vlla distinctione obiectiva saltem logica, & virtuali, nego; cum aliqua distinctione obiectiva, concedo; & distingo consequens; ergo de eodem ve-

rificantur contradictoria secundum idem omnino, nego consequentiam; secundum idem non omnino, concedo consequentiam. Prædicata contradictoria non possunt verificari de eodem omnino, & secundum idem omnino; at possunt de eodem verificari non secundum idem omnino: neque ex eo, quod sic verificentur, sequitur contradictio, quæ ex doctrina Aristotelis 1. Elenc. cap. 4. Est affirmatio, & negatio eiusdem omnino de eodem omnino, & secundum idem omnino, respectu eiusdem omnino, ut magis explicabitur quæstione 100. Personalitates ita sunt idem cum essentia diuina, ut non sint omnino, & omnibus modis idem, ut nunc supponimus, infra probabimus ex professo quæst. 100.

14. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Licet in Deo intellectio, & volitio improducta sint omnino idem, tamen alia est productio, qua Deus intelligendo producit Verbum, à productione, qua amando producit amorem. Ratio est, quia productio Verbi, & amoris debent ita ordinari, ut amor procedat à Verbo; sed non posset amor procedere à Verbo, si amor productus esset idem cum Verbo, & si vna, & eadem esset productio vtriusque; ergo &c. Confirmatur, nam licet iuxta sententiam multorum in creatis intellectus non distinguatur à voluntate, tamen amor distingui debet ab intellectu, quia debet procedere etiam ab intellectu; ergo licet in Deo intellectio improducta non distinguatur ab amore improducto, tamen quia amor productus debet etiam procedere ab intellectu producta, quæ dicitur Verbum, distingui debet à Verbo, ac productio Verbi distingui debet à productione amoris.

15. Dices: in Deo amor improductus non distinguitur ab intellectu improducto; ergo nec amor productus, hoc est Spiritus Sanctus distingui debet à Verbo, quod est intellectio producta.

16. Respondeo, negando consequentiam. Amor enim improductus, eo ipso quod est improductus, est à se, & non ab alio distincto; ergo non potest distingui ab intellectu; alioquin cum non sit ab illo distincto, non esset ab intellectu, quod repugnat. At amor productus eo ipso, quod est productus, non est à se, sed ab alio distincto; sed debet esse à Verbo; ergo debet distingui à Verbo.

17. Ad 3. concedo maiorem, & distingo minorem: creaturæ intelligendo produciunt plura verba imperfecta, & plures amores imperfectos, concedo: plura verba perfecta, & plures amores perfectos, nego minorem; & nego consequentiam. Eatenus creaturæ produciunt plura verba, & plures amores, quatenus non possunt vna intellectu perfectione intelligere omnia intelligibilia, nec vno Verbo dicere omnia dicibilia, nec vno amore amare omnia amabilia; sed Deus potest vnico

unico Verbo dicere omnia dicibilia; ideoque Iob. 33. dicitur: *Semel loquitur Deus*; & unico amore amare omnia amabilia; ergo &c.

18. Ad 4. respondeo primò negando maiorem. Omnipotentia enim propriè est potentia agendi in aliud, quatenus aliud, adeoque est potentia agendi ad extrà; ergo implicat in terminis, ut omnipotentia agat ad intrà. Secundo respondeo, quod si nomine omnipotentia intelligitur etiam potentia agendi ad intrà, in natura intellectuali non datur alia potentia agendi ad intrà, quam per actiones intellectus, & voluntatis, adeoque ad intrà non potest agere alia actione, quam productiua Verbi, & amoris, seu Spiritus Sancti.

QVÆSTIO LXXXIX.

Virum secunda, & tertia Persona diuina procedant per intellectum, & voluntatem, vel potius procedant immediate per naturam?

1. **V**idetur vera sententia Durandi, qui in primo, dist. 6. quest. 2. opinatus est secundam, & tertiam Personam diuinam procedere formaliter per naturam, non autem per intellectum, & voluntatem: primò quia virtus producendi sibi simile conuenit rebus per naturam, non autem per intellectum, & voluntatem, ideoque videmus, quod res producunt sibi simile, siue habeant, siue non habeant intellectum, ut patet in animalibus, & plantis: videmus etiam, quod ipsæ substantiæ intellectiue, dum producunt sibi simile, producunt per naturam, eo pacto, quo homo generat hominem per naturam, non autem per intellectum, & voluntatem; sed Deus habet naturam infinitè perfectam, & fecundam; ergo Deus licet sit intellectiue, tamen producit Filium, & Spiritum Sanctum per infinitam fecunditatem naturæ, ita ut ad tales productiones materialiter se habeat intellectus, & voluntas, eo pacto, quo si Sol esset intellectiue, & volitiue, si tamen produceret lucem, & calorem eo modo, quo producit de facto, produceret per naturam, non autem per intellectum, & voluntatem.

2. Secundo non potest explicari, quo pacto, & per quos actus intellectus, & voluntatis producantur Filius, & Spiritus Sanctus; ergo non producantur per intellectum, & voluntatem, sed per naturam.

3. Respondeo secundam, & tertiam Personam diuinam non procedere formaliter, & immediatè per naturam, sed per intellectum, & voluntatem, ut contra Durandum docent omnes Theologi.

4. Probatur primò à posteriori. Nam dicendo, quod secunda Persona procedat per intellectum, tertia per voluntatem, optimè red-

ditur ratio, cur in Deo sint duæ solæ processionēs; cur solæ secunda Persona sit imago, & Filius; cur tertia Persona procedat non solum à prima, sed etiam à secunda. At dicendo, quod utraque Persona procedat per naturam, nulla ratio horum potest afferri. Cum enim prima productio per naturam sit perfecta, quare proceditur ad secundam productionem? quare sistitur in secunda, & non proceditur ad tertiam? Quare potius secunda, quam tertia Persona est imago, & Filius? Quare tertia Persona non procedit solum à prima, vel solum à secunda, sed ab utraque?

5. Probatur secundò à priori. Nam quæ habent naturam purè intellectiue nihil producant vitaliter, & immanentè, nisi actus intellectus, & voluntatis; sed Deus habet naturam purè intellectiue, & ut se communicet infinitè, debet se communicare immanentè, & vitaliter; ergo &c. Confirmatur, nam cum Deus sit actualis intellectio, & volitio, ut producat sibi simile, id, quod producit, debet esse intellectio, & volitio; sed intellectio, & volitio debent produci per intellectum, & voluntatem; ergo &c.

6. Probatur tertio: nam opinio Durandi est contra Sanctum Thomam, & omnes Theologos antiquos, & recentiores, ideoque eam temerariam, & errori proximam censet Suarius hic lib. 1. cap. 5. Est etiam contra Sanctos Patres, quorum plures relati à Suario loco citato, & à Vasquez Tom. 2. in 1. part. disp. 111. cap. 1. num. 4. expressè dicunt Filium generari per intellectum, vel ex memoria Patris procedere, ac proportionaliter dicunt Spiritum Sanctum produci per voluntatem; ideoque Sanctus Augustinus lib. 9. de Trinitate, cap. 12. & lib. 15. cap. 17. ait Spiritum Sanctum esse procedentem amorem; idemque dicit S. Gregorius Homil. 30. in Euangel. Repugnat etiam Scripturæ, ac præsertim Ioanni, qui quia, ut communiter notant interpretes, scripsit Euangelium ad hoc præcipue, ut Christi diuinitatem, & æternam eius processionem nobis demonstraret, ad hunc finem initio Euangelij vocat ipsum Verbum, & ut dicit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Thesauri, cap. 5. *Nomen Verbi elegit, quia est maxime proprium, & significativum diuinitatis, & processionis propriæ secundæ Personæ*; sed Verbum est actus intellectus; ergo Filius est actus intellectus, & procedit per intellectum. Spiritus etiam Sanctus vocatur amor, adeoque procedit per voluntatem. Confirmatur, nam Sap. 7. & Ecclesiastici 24. Filius vocatur Sapientia, & dicitur ex ore altissimi proditiisse primogenita ante omnem creaturam; sed sapientia procedit per intellectum, & nomine oris in re spiritali significatur intellectus, à quo procedit Verbum mentis; ergo &c.

7. Respondet Durandus hæc dici non per proprietatem, sed per quandam analogiam. Quia enim à natura intellectuali per primam productionem producit cognitiō, seu

seu Verbum, per secundam producitur volitio, siue amor, ad quem concurret etiam cognitio, siue Verbum, & proportionaliter in Deo per primam productionem producitur Filius, & per secundam à Patre, & Filio producitur Spiritus Sanctus, in eoque terminantur processiones ad intra, idcirco Filius per quamdam appropriationem, & analogiam dicitur esse Verbum, & procedere per intellectum, Spiritus Sanctus dicitur esse amor, & procedere per voluntatem, licet propriè uterque procedat immediatè per naturam.

8. Sed contra, nam sequeretur Filium Dei non esse propriè Verbum, quod repugnat communi doctrinæ SS. Patrum.

9. Infertur primo secundam Personam esse imaginem producentis, tertiam non esse imaginem producentis. Ratio est, quia Verbum, siue intellectio producta est imago obiecti, à quo procedit; amor autem non est imago obiecti, sed est quædam unio cum obiecto amato, ut magis explicabitur quæst. 98. in qua etiam afferetur ratio, quare productio Verbi sit generatio, ac Verbum sit propriè Filius; productio Spiritus Sancti non sit generatio, ac Spiritus Sanctus non sit Filius.

10. Infertur secundò, quod licet Verbum diuinum repræsentet omnia, quæ Deus Pater intelligit, tamen non est imago omnium repræsentatorum, sed solius Patris est imago, creaturarum non est imago, sed exemplar. Ratio est, quia quod ita repræsentat obiectum, ut ab ipso, & ad ipsius imitationem procedat, est imago talis obiecti: quod autem ita repræsentat obiectum, ut à tali obiecto non procedat, sed potius obiectum procedat ab ipso, & ad imitationem ipsius, non est imago, sed exemplar talis obiecti; sed Verbum diuinum ita repræsentat Patrem, ut ab ipso, & ad imitationem ipsius procedat, creaturas verò ita repræsentat, ut creaturæ procedant à Verbo, & ad imitationem Verbi, Verbum verò non procedat à creaturis, neque ad imitationem creaturarum; ergo &c.

11. Infertur tertio Verbum diuinum esse Verbum solius Patris, ut dicentis; at esse Verbum non solius Patris, sed etiam Spiritus Sancti, & creaturarum, imò omnium intelligibilium, ut dictorum. Probat: nam Verbum illius est ut dicentis, à quo dicitur, & producit: at illius est ut dicti, quod per Verbum dicitur; sed Verbum diuinum ita dicitur, & producit à solo Patre, ut Pater per Verbum dicat non solum se ipsum, sed etiam Spiritum Sanctum, & omnia, quæ intelligit; ergo &c.

12. Infertur quarto, quare cum Verbum græcè dicatur logos, quod non solum potuisset verti *Verbum*, sed etiam *sermo*, tamen latine vocetur potius Verbum, quam sermo. Ratio est, quia *sermo* significat orationem eo npositam, *Verbum* autem significat aliquid simplex; ergo quia Verbum diuinum est simplicissimum, Latini communius vocant illud

nomine Verbi, quam sermonis. Sapientia tamen 18. vocatur etiam *Omnipotens sermo*, ad significandum, quod est oratio perfecta, quæ Deus omnia dicit, & per ipsum omnia facta sunt, iuxta illud Psalm. 148. *Dixit, & facta sunt.*

13. Infertur quintò, quare secunda Persona vocetur Verbum, non autem cogitatio. Respondeo rationem esse, quia ut ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 14. docet S. Thomas in cap. 1. Ioannis, Lect. prima, cogitatio significat conceptum quemdam inquisituum, imperfectum, & nondum formatum; Verbum autem significat conceptum perfectum, & iam formatum per perfectam contemplationem veritatis; sed intellectus diuinus non format conceptus imperfectos, & inquisituos, sed conceptum perfectissimum, & comprehensuum veritatis; ergo in Deo non datur cogitatio, sed Verbum. Ideo Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. dicit: *Ita dicitur Verbum Dei, ut cogitatio non dicatur, ne quid quasi volubile credatur in Deo.* Dictum autem illud Anselmi: *Dicere summo spiritui nihil aliud est, quam cogitando intueri*, improprium est, ut notat S. Thomas loco citato.

14. Ad 1. distinguo maiorem: virtus producendi sibi simile conuenit rebus corporeis per naturam, non autem per intellectum, & voluntatem, concedo: rebus omnino incorporeis, nego: concedo minorem; & nego consequentiam, ac retorqueo argumentum. Solæ res corporeæ producant sibi simile per naturam, non autem per intellectum, & voluntatem: Angeli, qui sunt omnino incorporei, nihil aliud sibi simile possunt producere, quam Verbum, siue intellectionem sui ipsius, licet nec Verbo, neque amori possint communicare suam naturam substantialem, ideoque Angelus non potest producere Verbum, quod sit ipse Angelus, & amorem, qui similiter sit Angelus: sed Deus est omnino incorporeus; ergo non aliud sibi simile producit, quam Verbum, licet in hoc excedat Angelum, quod Verbo, sicut etiam amori communicat suam naturam substantialem, adeoque Deus producit Verbum, & amorem, qui sunt Deus, & vnus Deus cum producente, ut explicabitur infra quæst. 95.

16. Ad 2. Argumentum petit, ut declaretur, quo pacto, & quo actu intellectus, & voluntatis, producat Verbum, & Spiritus Sanctus, quod est ex professo explicandum quæst. sequenti.

QVAESTIO LXXXX.

Virum Verbum diuinum producat per actionem locutiuiam, Spiritus Sanctus per actionem spiritali?

1. **V**ideretur, quod non: primò quia ex Aristotele 9. Metaph. text. 16. hæc est differentia.

ferentia inter actiones transeuntes, & actiones immanentes, quod per actiones transeuntes producit terminus distinctus, per actiones immanentes non producit terminus distinctus: ex. gr. per actionem calefactiuam, quæ est transiens, producit calor, per actionem videndi, quæ est immanens, non producit terminus distinctus à visione; sed actio loquendi, & spirandi in Deo sunt actiones immanentes; ergo Verbum, & Spiritus non essent termini distincti à talibus actionibus: quod est absurdum, & contra omnes Theologos, ut infra explicabitur.

2. Secundò ex eodem Aristotele 1. Ethic. cap. 1. quando per actionem producit terminus distinctus, talis terminus est finis actionis, & est nobilior actione: ex. gr. quia per ædificationem producit domus, ipsa domus est finis ædificationis, etque nobilior actione ædificatiua; sed absurdum est, quod in Deo detur aliquid nobilior actionibus intelligendi, & amandi; ergo.

3. Respondeo, quod sicut productio caloris vocatur calefactio, productio frigoris vocatur frigefactio, sic productio Verbi intellectualis vocatur dictio, seu locutio intellectualis; sed Verbum diuinum, ut questione superiori ostensum est contra Durandum, est propriè Verbum intellectuale; ergo productio Verbi diuini est propriè dictio, seu loquutio intellectualis, ideoque Verbum producit, dicendo, ut contra Durandum docent omnes Theologi. Productio amoris, seu Spiritus Sancti caret nomine proprio visitato apud scriptores profanos, & à Patribus, & Theologis vocata est spiratio. Ratio est, quia qui spirat, emittit à se flatum, & spiritum cum quodam motu, & impetu; sed amor importat quemdam motum, quemdam impetum, & quandam inclinationem in obiectum; ergo congruè amor à Deo productus dictus est spiritus, productio autem amoris vocata est spiratio: ideoque Christus Ioan. 20. *Insufflauit, ac dixit: Accipite Spiritum Sanctum*, ad significandum, quod Spiritus Sanctus procedit per actionem spiratiuam. Proportionaliter ad significandum, quod Verbum procedit per actionem locutiuiam, Sapientia genita, quæ est ipsum Verbum, Ecclesiastici 24. de se ipsa dicit: *Ego ex ore altissimi prodixi*, nomine oris significans intellectum Patris, à quo ab æterno prodit Verbum.

4. Ad 1. Differentia inter actiones transeuntes, & immanentes est, quod per omnes transeuntes producit terminus distinctus, at non per omnes immanentes. Caterum non repugnat, ut per aliquam actionem immanentem producat terminus distinctus. Pater: nam in sententia satis recepta actus vitales videndi, audiendi, intelligendi &c. sunt qualitates absolutæ, quæ producuntur per actiones modales distinctas; tales autem actiones modales sunt immanentes, siquidem nihil produciunt extrà agens, & tamen per illas producuntur termini distincti.

Licet igitur hoc, quod est: *Intelligere, exprimendo imaginem obiecti intellecti, & amare, producendo inclinationem in obiectum amatum* sint actiones immanentes, tamen per ipsas possunt produci Verbum, & Spiritus Sanctus distincti ab actionibus dicendi, & spirandi.

5. Ad 2. distingo maiorem: cum per actionem ex indigentia producit terminus distinctus, talis terminus est finis actionis, & est nobilior actione, concedo: cum producit ex abundantia, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quando per actionem producit terminus distinctus, non ad hoc, ut agens, & actio perficiatur, sed pure ad hoc, ut agens per actionem communicet termino producto totam perfectionem, quam habet, terminus non est nobilior actione, sed est æquè nobilis, ac actio, cum eandem nobilitatem, & perfectionem, quam agens, & actio habent aliundè, terminus habeat per actionem; sed Deus producit Verbum, & amorem ex abundantia, ut magis explicabitur qu. 92. n. 13. ergo.

Q V A E S T I O XCI.

*Verum in Deo intelligere, & amare sint forma-
liter idem, ac dicere Verbum, & spirare
amorem, ita ut omne intelligens
dicat Verbum, omne amans
spiret amorem?*

1. Videtur, quod sit idem: primò quia in creaturis omne intelligens producit Verbum mentale, & omne amans producit amorem; ergo etiam in Deo.

2. Secundò si dicatur, quod præter intelligere, & amare essentialiter, quæ nullo pacto distinguuntur obiectiue, & sunt communia tribus Personis, datur intelligere notionale, quo producit Verbum, & amare notionale, quo producit Spiritus Sanctus: & quia solus Pater intelligit notionaliter, Pater autem, & Filius notionaliter amant, ideo solus Pater producit Verbum, Pater autem, & Filius produciunt Spiritum Sanctum, siue amorem: contrà est primò, quia non potest explicari, quo pacto actus essentialiter differant à notionalibus. Secundò quia sicut ponitur in Deo duplex intellectio, & duplex amor, alter essentialis, alter notionalis, sic posset poni duplex omnipotentia, duplex bonitas, duplex immensitas &c. altera essentialis, altera notionalis, quod est absurdum. Tertiò quia sicut in creatis non datur duplex intelligere, & duplex amare, alterum essentialiter, alterum notionale, sic non datur in Deo.

3. Tertiò si dicatur cum Scoto, quod duplex datur actus intellectus, alter essentialis, & communis tribus Personis, qui est ipsum intelligere, alter notionalis, & proprius Patris, qui

qui est dicere; Verbum autem producit non per actum intelligendi, sed per actum dicendi, ideoque à solo Patre; & proportionaliter duplex datur actus voluntatis, alter essentialis, qui est ipsum amare, alter notionalis, qui est spirare amorem; Spiritus autem Sanctus producit non per actum amandi communem, tribus Personis, sed per actum spirandi, qui datur solum in Patre, & Filio: contra est, quia in creatis idem est intelligere, ac intellectualiter dicere, seu producere verbum intellectualiter; idem est amare, ac spirare, seu producere amorem, ideoque in creatis omne intelligens producit verbum intellectuale, omne amans producit amorem; ergo etiam in Deo.

4. Respondeo, quod quia diximus actionem productivam Verbi divini esse dictionem, seu locutionem mentalem, actionem productivam Spiritus Sancti esse spirationem sequitur, ut explicemus, quid sit intelligere, & quid sit dicere intellectualiter, quid amare, & quid spirare amorem, & quo pacto se habeant ad invicem, tum in quantum abstrahunt à creatis, & divinis, tum in quantum inveniuntur in creatis, & in Deo.

5. Dicendum igitur primò: intelligere ex suo formali conceptu est habere intellectiōnem vitaliter, hoc est ita, ut sit à natura intelligentis: dicere intellectualiter est intelligendo producere, siue exprimere imaginem, & similitudinem vitalem, & expressam obiecti, quod intelligitur ut exemplar. Proportionaliter amare est habere amorem vitaliter, hoc est ita, ut sit à natura, & cognitione amantis; spirare amorem est amando producere quemdam motum, quendam impetum, & quendam inclinationem in amatum. Hæc conclusio non indiget alia probatione, quam explicatione terminorum, & reflexione experimentalis super nostros actus. Ego enim in quantum habeo in me intellectiōnem vitaliter, hoc est ita, ut sit à mea natura intelligente, constituor intelligens, ac dicor intelligere; in quantum ita intelligo, ut producam, atque exprimam intellectiōnem, quæ est imago, & similitudo vitalis obiecti, dicor loqui intellectualiter, ac dicere verbum intellectuale; in quantum habeo amorem vitaliter, hoc est ita, ut talis amor sit à mea natura, & cognitione, dicor amare; in quantum amando produco eundem amorem, qui est quidam impulsus, & quædam inclinatio vitalis in rem amatam, dicor spirare amorem.

6. Hinc inferitur primò, quod intelligere, & amare ex suo conceptu formali abstrahēte à divinis, & creatis, non includunt formaliter ullam actionem physicam, seu productionem, & processionem realem intellectiōnis, vel amoris, adeoque nullam includunt realem relationem intelligentis ad intellectiōnem, vel amantis ad amorem, quæ relatio fundetur in processione reali. Probatur: nam intelligere, & amare est habere intellectiōnem, & amorem vitaliter, hoc est ita, ut sint à natura intelli-

gente; sed intellectiō, & amor possunt haberi vitaliter sine reali productione intellectiōnis, & amoris, ac de facto essentia divina est intelligens, & amans per hoc, quod habeat intellectiōnem, & amorem à se, sine vlla productione intellectiōnis, & amoris, ut ostensum est quæst. 42. ergo &c. E converso dicere verbum, & spirare amorem ex suo conceptu includunt formaliter actionem physicam, seu processionem, & productionem realem verbi, & amoris, adeoque relationem realem fundatam in tali processione. Hinc sequitur, quod intelligere, & amare sunt predicata absoluta, hoc est abstrahētia ab omni relatione fundata in processione reali intellectiōnis, & amoris: at dicere, & spirare sunt predicata relativa, hoc est includentia, vel fundantia relationem fundatam in reali processione intellectiōnis, & amoris.

7. Inferitur secundo, quod intelligere, ac dicere, in quantum abstrahunt à creatis, & divinis comparantur ita, ut intelligere abstrahat ab hoc, quod est dicere, ac dicere non abstrahat ab hoc, quod est intelligere, sed illud includat, vel saltem connotet, adeoque falsa est sententia Scoti, qui in 1. dist. 27. quæst. 1. & 2. docuit, intelligere, ac dicere ita distingui, ut sint duo actus intellectus concomitantes, quorum neuter includat, vel connotet alium.

8. Probatur illatio: nam dicere est intelligendo producere imaginem exemplaris intellecti; ergo includit, vel connotat intelligere. Confirmatur primò: nam dum ego intelligendo produco verbum, dico ipsum verbum, species verò intelligibilis licet concurrat mecum ad productionem verbi, non dicit verbum, quia non producit intelligendo, siquidem non habet naturam intellectivam; ergo ad dicendum non sufficit, ut quomodocunque producatur verbum, sed requiritur, ut producatur intelligendo, adeoque dicere includit, vel connotat intelligere. Confirmatur secundo: nam non potest percipi, quod aliquis dicat id, quod non intelligit; ergo &c. Hinc est, quod S. Thomas ubique doceat, quod dicere est exprimere intelligendo, vel intelligere exprimendo, ita ut includat, tum intellectiōnem, tum expressionem, seu productionem verbi, ut notat Caietanus 1. par. quæst. 27. art. 1. & hoc ipsum contra Scotum docent Suarez hic lib. 1. de Trinitate cap. 6. & Vasquez disp. 112. cap. 3. Ex proportionali ratione amare abstrahit ab hoc, quod est spirare: at spirare, cum sit spirando producere amorem, includit, vel connotat ipsum amare. Dicere igitur supra intelligere addit productionem realem imaginis, seu verbi: spirare supra amare addit productionem realem amoris, siue inclinationis in rem amatam.

9. Potest quæri, vtrum dicere in quantum addit aliquid contradistinctum supra intelligere, sit formaliter quoddam intelligere; & spirare, in quantum addit aliquid contradistinctum supra amare, sit formaliter quoddam amare.

L 1

10. Re-

10. Respondeo negativè cum Suario lib. 1. de Trinit. cap. 7. Dicere enim suprà intelligere addit producere imaginem, seu verbum obiecti intellecti; producere autem imaginem non est formaliter intelligere, licet connotet actum intelligendi. Similiter producere amorem non est formaliter amare, licet connotet actum amandi. Licet producere verbum non sit formaliter intelligere, tamen est actus intellectus, ideoque ut bene dicit Scotus duo sunt actus intellectus. Primus est intelligere, qui abstrahit ab actione reali; secundus est producere verbum, siue imaginem obiecti intellecti, qui includit actionem realem. Proportionaliter duo sunt actus voluntatis: alter est amare, qui abstrahit ab actione reali; alter est producere amorem, qui includit actionem realem, ut explicabitur in resp. ad 4.

11. Dicendum secundò: in creatis intelligere ita includit dictionem verbi, & amare ita includit productionem amoris, ut omne intelligens dicat verbum, omne amans producat amorem. In diuinis è conuerso intelligere ita abstrahit à dictione verbi, & amare ita abstrahit à productione amoris, ut non omne intelligens dicat verbum, nec omne amans spiraret, seu producat amorem. Probatur: nam creaturæ ut intelligant, & ament, debent habere intellectionem, & amorem vitaliter, hoc est à natura intelligente, & amante; sed intellectio, & amor, qui non sunt à se, non aliter possunt esse à natura intelligente, & amante, quam per hoc, quod ab ipsa producantur; ergo in creatis intellectio, & amor, cum non sint à se, non aliter possunt esse à natura intelligente, & amante, quam per hoc, quod ab ipsa producantur; adeoque in creatis intelligens, & amans non aliter potest intelligere, & amare, quam per hoc, quod per suam naturam producat intellectionem, & amorem; ergo creaturæ non possunt intelligere, nisi producendo verbum, nec possunt amare, nisi spirando amorem, adeoque omne creatum intelligens dicit verbum, & amans spirat amorem. E conuerso Deus potest habere, ac de facto habet intellectionem, & amorem vitaliter, hoc est à natura intelligente, & amante, per hoc, quod intellectio, & amor sint à se, & cum sint idem cum natura diuina, sint à natura diuina: sed hoc non includit ullam productionem intellectionis, & amoris; ergo in diuinis non omne intelligens dicit Verbum, nec omne amans spirat amorem. Hinc est, ut de facto solus Pater ita intelligat, ut dicat Verbum; Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt præcisè per hoc, quod habent intellectionem vitaliter, hoc est à natura intelligente, sed non dicunt Verbum; Pater, & Filius ita amant, ut spirent amorem; Spiritus Sanctus amat præcisè per hoc, quod habeat amorem vitaliter, hoc est à natura amante, sed non spirat amorem. Essentia etiam diuina intelligit, & amat per hoc, quod habeat intellectionem, & amorem à se ipsa, & neque dicit Verbum, neque spirat amorem.

12. Ad 1. concedo antecedens; & nego consequentiam. Nam num. 1. allata est ratio, quare in creaturis omne intelligens dicat verbum, omne amans spiret amorem, in Deo autem è conuerso.

13. Ad 2. Concedo, quod intelligere, & amare dicuntur dupliciter, hoc est essentialiter, & notionaliter. Dum primo opponitur, quod non potest explicari, quo pacto actus essentialiter differant à notionalibus; respondeo id explicando. Actus essentialiter in diuinis dicuntur, qui sunt communes omnibus tribus Personis; actus notionales dicuntur, qui non sunt communes tribus, sed proprii vnus, vel communes duabus tantum. In casu nostro intelligere, & amare abstrahendo à reali productione Verbi, & amoris, sunt actus essentialiter, quia sunt communes tribus Personis: intelligere, exprimendo Verbum, est actus notionalis proprius Patris; amare spirando amorem, est actus notionalis communis Patri, & Filio, sed non Spiritui Sancto.

14. Dum opponitur, quod sicut conceditur duplex intelligere, & duplex amare, sic posset poni duplex omnipotentia, duplex aternitas, immensitas &c. altera essentialis, altera notionalis; respondeo negando suppositum. Non enim pono in Deo duplex intelligere, & duplex amare, sed vnum, quod dicitur dupliciter; primo abstrahendo à productione Verbi, & amoris, & tunc dicitur essentialiter, ac de omnibus Personis; secundò includendo productionem Verbi, & amoris, & tunc dicitur notionaliter, hoc est non de omnibus Personis. Sicut igitur homo, & homo generans non sunt duo homines, sed propter identitatem recti, sunt vnus, & idem homo, qui aliquando sumitur abstrahendo à generatione, aliquando sumitur cum generatione significata in obliquo; sic intelligere essentialiter, & intelligere notionaliter, non sunt duo intelligere, sed sunt vnum, & idem intelligere, quod aliquando sumitur abstrahendo à productione Verbi, & tunc sumitur essentialiter, aliquando sumitur cum productione Verbi con significata in obliquo, & tunc sumitur notionaliter. Idem proportionaliter dic de amore.

15. Si vrgeatur: sicut intelligere dicitur tum essentialiter, tum notionaliter, sic omnipotentia, immensitas &c. dicerentur tum essentialiter, tum notionaliter; respondeo, negando sequelam. Disparitas est, quia sola productiones ad intra sunt notionales, hoc est non communes omnibus tribus Personis; productiones ad extra sunt essentialiter, hoc est communes omnibus Personis; sed Deus intelligendo, & volendo producit ad intra Verbum, & amorem; per omnipotentiam, quæ est potentia agendi in aliud, quatenus aliud, ut ex Aristotele 9. Metaph. docet S. Thomas hic quæst. 27. art. 1. producit solum ad extra; per aternitatem, immensitatem secundum suos conceptus formales abstrahentes ab omnipotentia, formaliter non intelligitur aliquid producere, sed solum

solum intelligitur coexistere omnibus temporibus, & locis; ergo non est mirum, quod intelligere, & amare possint sumi consignificando in obliquo productiones ad intra non communes tribus Personis, adeoque notionaliter: omnipotentia, æternitas, & immensitas, possint sumi connotando productiones ad extra, vel coexistentiam temporis, & loco extrinsecis, quæ sunt communia omnibus Personis, adeoque solum essentialiter.

16. Cum demum opponitur in creatis intelligere, & amare non sumuntur dupliciter, essentialiter, & notionaliter; ergo neque in Deo. Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia ut dictum est num. 11. creatura non possunt intelligere, nisi producendo intellectionem, & non possunt amare, nisi producendo amorem; ergo intelligere, & amare non potest esse quid communius, quam producere intellectionem, & amorem, ac proinde comparari non possunt ad hoc, quod est producere intellectionem, & amorem, sicut aliquid communius, & sic essentialiter, ad aliquid minus commune, & sic notionaliter. At aliquæ Personæ diuinæ possunt intelligere, & amare, absque eo quod producant intellectionem, & amorem; ergo intelligere, & amare potest esse aliquid communius, quam producere intellectionem, & amorem, & sic comparari ad productionem intellectionis, & amoris, sicut actus essentialis ad notionaliter.

17. Ad 3. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas patet ex modo dictis, siquidem ostensum est, in Deo intelligere, & amare esse communius, quam dicere, seu producere Verbum, & spirare amorem.

QVÆSTIO XCII.

Virum Pater formaliter intelligat, & sit Sapiens Verbo, hoc est Sapiencia genita, Pater, & Filius formaliter se, & alia diligant Spiritu Sancto, hæc est amore procedente?

1. Videtur, quod Pater ita producat Verbum, ut per ipsum Verbum producatum constituatur formaliter intelligens, ac sapiens, ac proinde sit sapiens sapientia genita; Pater, & Filius ita producant amorem, seu Spiritum Sanctum, ut constituantur formaliter se mutuo diligentes amore producto, hoc est Spiritu Sancto; primo quia in creaturis, qui producit verbum constituitur formaliter intelligens per ipsum verbum, & qui producit amorem, constituitur formaliter amans per ipsum amorem; ergo etiam in Deo.

2. Secundò id, quo per possibile, vel impossibile non existente, & remanentibus omnibus alijs, Deus non intelligeret, per se ipsum formaliter constituit Deum intelligentem; sed plures Patres, quos refert Ruiz disp. 74. de Tri-

nit. sect. 3. num. 3. dicunt, quod si per impossibile Deus non produceret Verbum, non intelligeret; ergo.

3. Tertiò Hieronymus in psal. 17. dicit. *Spiritus Sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem*: Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 5. circa initium dicit, quod *Spiritus Sanctus est, quo genitus à gigante diligitur, generatoremque suam diligit*; ergo à pari Pater intelligit Verbo, & est sapiens sapientia genita.

4. Respondeo, quod cum Augustinus lib. 83. quæstionum, q. 23. quæ est de Patre, & Filio, docuisset, quod *Pater eam genuit, qua sapiens dicitur sapientiam*, hoc retractans lib. 1. retract. cap. 26. dicit: *ubi dixi, quod eam ipse genuit, qua sapiens est, sapientiam; sed melius est, in quæstionem in libris postea de Trinitate tractauimus*. Lib. ergo 7. de Trinitate cap. 1. & 2. & lib. 15. cap. 7. examinans ex professo quæstionem docet, quod Pater non est formaliter intelligens Verbo, hoc est Sapientia genita, sed intellectione, & Sapientia ingenita, hoc est ipsa essentia diuina. Probat: nam si Pater esset sapiens, & intelligens non se ipso, sed Verbo, cum Verbum sit distinctum à Patre, Pater non esset sapiens se ipso, sed aliquo à se distincto; sed idem est Patri esse intelligentem, & sapientem, ac esse, & Deum esse; ergo Pater non esset se ipso, nec esset Deus se ipso, sed Verbo à se distincto, ac proinde Pater à Filio, tanquam à causa quasi formali haberet, ut intelligeret, ut sapiens esset, ut Deus esset, & ut absolute esset; sed hoc est absurdum: nam Pater à se, non autem à Filio habet intelligentem esse, sapientem esse, Deum esse, & absolute esse; & quia hæc omnia habet à se, dat illa Filio per generationem, & Spiritui Sancto per spirationem; ergo Pater se ipso, ac sua essentia intelligens est, Sapiens est, & Deus est, & sicut non est Deus Filio, sic non est intelligens, & amans Filio, tanquam causa quasi formali. Cum ergo dicitur, quod Filius est sapientia Patris, non significatur, quod Filius sit sapientia, qua Pater constituatur formaliter sapiens, sed solum significatur quod Filius est sapientia genita à Patre, qui Pater per se ipsum est sapientia ingenita: & Filius est Sapientia de Sapientia, sicut est lumen de lumine, Deus de Deo, & in hoc sensu Apostolus 1. ad Corint. 1. Christum vocat Dei virtutem, & Sapientiam, quia est Virtus, & Sapientia, de Sapientia. Verba Augustini 15. de Trinit. cap. 7. sunt. *At verò in illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, nisi per Filium, nec diligere nisi per Spiritum Sanctum?* Et paulò post: *Si sibi solus sibi Filius intelligit, ut intelligentia sit, & sibi, & Patri, & Spiritui Sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio, nec Sapientia Sapientiam genuerit, sed ea Sapientia Pater dicatur sapiens esse, quam genuit. Vbi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse, ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapiens*

tem esse facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, & ea illi essentia est, qua sapientia, non Filius à Patre, quod verum est, sed à Filio potius habet Pater essentiam quod absurdissimum, atque falsissimum est. Hanc absurditatem nos in libro septimo discussisse, conuicisse, abieciisse certissimum est. Est ergo Deus Pater sapiens ea, qua ipse sua est sapientia, & Filius Sapientia Patris de Sapientia, quod est Pater, de quo genitus est Filius. Augustinum secuti sunt Magister sententiarum in 1. dist. 32. S. Thomas, & omnes Scholastici.

5. Potest quari, vtrum possit etiam dici, quod Pater licet intelligat se ipso, & per suam essentiam, tamen intelligat etiam, & sit sapiens Verbo à se genito; & quod Pater, & Filius, licet diligant se ipsis, diligant etiam Spiritu Sancto, seu amore producto? hoc autem est quærere, vtrum intelligere, & amare dicantur non solum essentialiter, sed etiam notionaliter?

8. Respondeo duas esse quæstiones, alteram grauissimam, & de re, alteram de nomine, & minoris momenti. Prima quæstio grauissima, & de re est, vtrum Pater sit intelligens, & sapiens solum per Verbum, seu Sapientiam genitam, ita vt se ipso, & sapientia ingenita non sit sapiens, neque intelligens; & vtrum solum sit amans per Spiritum Sanctum, ita vt se ipso, & amore ingenito non sit amans. Secunda de nomine, & minoris momenti est, vtrum Pater possit dici etiam sapiens, & intelligens per productionem Verbi, & per ipsum Verbum, ac proinde possit dici sapiens dupliciter, & per duplicem formam, seu quasi formam, primo per essentiam communem, & sic sit sapiens essentialiter, secundo per productionem Verbi, & per ipsum Verbum productum, & sic sit sapiens notionaliter. Proportionaliter quæritur, vtrum Pater, & Filius non solum se diligant per essentiam diuinam, sed etiam per spirationem Spiritus Sancti, & per ipsum Spiritum Sanctum, & sic se diligant, non solum essentialiter, sed etiam notionaliter? Augustinus examinat, & soluit quæstionem præcipue in primo sensu, vt patet ex illis verbis lib. 15. de Trinit. cap. 7. relatis num. 4. Superest, vt examinemus quæstionem in secundo sensu.

9. Tres possunt esse sententiæ. Primo aliqui, quos tacito nomine refert Sanctus Thomas 1. parte, quæst. 37. art. 2. dixerunt, quod sicut est falsa hæc propositio: *Pater intelligit Verbo productum*, ita est falsa hæc propositio: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*, ac proinde licet fuerit ab Augustino admissa loco citato num. 3. in tertio argumento, nihilominus censeferi debet retractata in suo simili, cum nimirum lib. 1. Retract. cap. 26. retractauit hanc, *Pater est sapiens sapientia genita*.

10. Secundo dici potest, quod sicut diligere sumi potest dupliciter, hoc est essentialiter, & notionaliter, ideoque non solum est verum, quod Pater diligit se ipso, sed etiam, quod Pater diligit Spiritu Sancto, sic intelligere sumi potest tum essentialiter, tum notionaliter, ac proinde non solum est verum, quod

Pater intelligit se ipso, & per suam essentiam, sed etiam est verum, quod Pater intelligit Filio.

11. Tertia sententia Sancti Thomæ 1. parte quæst. 37. art. 2. quam sequuntur Theologi communiter, docet intelligere dici solum essentialiter, ac proinde esse falsam hanc propositionem, *Pater intelligit Filio*; diligere dici etiam notionaliter, ac proinde esse veram hanc, *Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto*; & hanc sententiam existimo veram. Probatur auctoritate Augustini, qui cum lib. 83. quæstione cap. 23. dixisset, Patrem genuisse Sapientiam, qua sapiens est, hanc propositionem retractat lib. 1. retract. cap. 26. & lib. de Trinitate locis citatis, & ostendit Patrem non intelligere sapientia genita. At ipsdem lib. de Trinitate lib. 6. cap. 5. concedit Patrem, & Filium se diligere Spiritu Sancto, ac nullibi hoc retractat, imo cap. 26. lib. 1. Retract. approbat ea, quæ circa hæc docuerat in lib. de Trinitate. Confirmatur: nam voces habent significationem ex usu loquentium; sed Theologi communiter vocem diligendi sumunt tum essentialiter, tum etiam notionaliter, ita vt significet idem, ac *producere amorem*, vocem autem intelligendi sumunt solum essentialiter; ergo &c.

12. Disparitas autem est, quia ad significandam productionem verbi, institutum est verbum *dico*; ergo non est mirum, quod verbum *intelligo* non significet productionem verbi, ac proinde in diuinis non possit sumi notionaliter. At ad significandam productionem amoris non est institutum verbum distinctum à verbo *diligo*: verbum enim spirandi apud Scriptores profanos non significat productionem amoris, sed ab Ecclesiasticis assumptum est ad hoc significandum; ergo non est mirum, quod verbum *diligo* non solum possit significare hoc, quod est, *habere amorem vitaliter*, sed etiam hoc, quod est, *producere amorem*, ac proinde possit verè dici, Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto, & sic possit sumi etiam notionaliter. Addit Sanctus Thomas citata quæstione 37. art. 2. quod sicut arbor dicitur florere, tum productione florum, tum ipsis floribus, sic Pater dicit Verbum, tum productione actiua Verbi, tum ipso Verbo producto: Pater, & Filius diligunt tum productione actiua amoris, seu Spiritus Sancti, tum ipso Spiritu Sancto. Addi rursus potest, quod licet non possit absolute, & sine addito dici, quod Pater intelligit Verbo, tamen potest cum addito dici, quod Pater intelligit notionaliter Verbo. Intelligere enim notionaliter idem est, ac dicere.

13. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia creaturæ non aliter possunt habere intellectum, & amorem vitaliter à natura intelligente, & amante, quam per hoc, quod intellectio, & amor sint producti à natura; ergo creaturæ intelligunt, & amant per hoc, quod habeant intellectum, & amorem.

QVAESTIO XCIII.

nem, & amorem productos à natura; sed intellectio producta est verbum &c; ergo creaturae formaliter intelligunt per verbum, & formaliter amant per amorem productum. E conuerso Deus intelligit, & amat per hoc, quod habeat actus intelligendi, & amandi à natura diuina; sed habet illos à natura, non per hoc, quod sint producti à natura, sed per hoc, quod sint ab ipsa natura, hoc est à se; ergo Deus intelligit, & amat, non per hoc, quod habeat actus intelligendi, & amandi productos, sed per hoc, quod habeat improductos; sed Verbum est intellectio producta, Spiritus Sanctus est amor productus; ergo Deus non intelligit formaliter per Verbum, neque amat per Spiritum Sanctum. Hinc sequitur creaturas producere verbum, & amorem ex indigentia, nimirum ad hoc, vt per verbum, & amorem habeant formaliter perfectionem intelligendi, & amandi; Deum è conuerso producere Verbum, & Amorem, non ex indigentia, sed ex abundantia. Nam quia supponitur per suam essentiam habere totam perfectionem intelligendi, & amandi, producit Verbum, & amorem, non vt ab illis accipiat perfectionem intelligendi, & amandi, sed vt hanc perfectionem communicet Verbo, & Spiritui Sancto, seu amori producto.

14. Ad 2. Patres citati non dicunt, quod ablato Verbo, & remanente essentia, Deus non intelligeret, sed solum dicunt vtrunque, quod ablato Verbo, Deus non intelligeret, quod est verissimum, quia ablato Verbo, auferretur essentia diuina, vt potè quæ per seipsam est necessaria ratio, vt producatur Verbum, adeoque non potest esse sine productione Verbi. Propositio igitur Patrum est similis isti: *Si Sol naturaliter non illuminaret corpora extrinseca, non esset lucidus*; sed ex hac non sequitur, quod Sol formaliter sit lucidus per illuminationem, quia illuminat alia, sed solum sequitur, quod Sol est tale principium illuminandi, quod esse non potest, absque eo quod naturaliter illuminet; ergo ex propositione Patrum non sequitur, quod Deus formaliter intelligat per Verbum, sed solum sequitur, quod Deus esse non potest sine productione Verbi. Hæc igitur propositio: *ad intelligendum necessaria est productio Verbi*, est vniuersaliter vera, tum in diuinis, tum in creatis, sed modo diuerso. Nam in creatis necessaria est productio Verbi ex indigentia, vt creatura formaliter intelligat per verbum: in Deo necessaria est ex abundantia, vt Deus Verbo communicet perfectionem intelligendi. Idem dic proportionaliter de productione Spiritus Sancti.

15. Ad tertium patet ex dictis num. 4.

Virum Verbum diuinum procedat ab intellectu Patris, vt habente solum notitiam habitua-lem, seu speciem intelligibilem, an vt habente notitiam actuaalem?

1. Videtur Verbum diuinum procedere ab intellectu Patris solum vt habente notitiam habituaalem, seu speciem intelligibilem: primo quia verbum creatum procedit ab intellectu vt habente solum notitiam habituaalem; ergo etiam Verbum diuinum.

2. Secundo ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 7. & 10. Verbum procedit ex memoria fecunda Patris; sed nomine memoriae significatur intellectus, in quantum habet speciem intelligibilem, per quam intelligit habitum, non autem in quantum habet intellectionem actuaalem; ergo.

3. Respondeo, quod in creatis verbum procedit ab intellectu, prout habente solum notitiam, seu intellectionem habituaalem, hoc est speciem intelligibilem: at in Deo Verbum procedit ab intellectu prout habente notitiam, seu intellectionem actuaalem perfectam; idemque dic proportionaliter de amore. Probatur: nam creatura producit verbum, & amorem, vt per ipsos constituatur intelligens, & amans; ergo creatura, præscindendo à productione Verbi, & amoris, non est actu, sed solum habitu intelligens, & amans, adeoque verbum, & amor in creatis procedunt ab intellectu, & voluntate, prout habentibus intellectionem, & amorem solum habituaalem, non autem prout habentibus notitiam, & amorem actuaalem. E conuerso Deus producit Verbum, & amorem, non vt per actus productos sit intelligens, & amans, sed quia iam est intelligens, & amans, adeoque Verbum, & Spiritus Sanctus procedunt ab intellectu, & voluntate prout habentibus intellectionem, & amorem actuaalem. Plura alia circa hæc explicabuntur inferius qu. 94.

4. Ad 1. patet ex dictis num. 3.

5. Ad 2. distingo maiorem: Verbum procedit ex memoria fecunda proprie, & strictè sumpta, nego; analogicè sumpta, concedo maiorem; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Memoria ex Aristotele est veluti locus, & thesaurus specierum intelligibilium: immò ipse Christus Matth. 3. memoriam vocat thesaurum, dicens *Scribam doctum proferre de thesauro suo*, hoc est de memoria sua noua, & vetera. In natura igitur intellectuali creata memoria est ipse intellectus, in quantum habet, & conseruat species obiectorum ante cognitorum, iisque speciebus vtens, potest, cum voluerit, promptè recollere obiecta, vt ante cognita; eo pacto, quo Mathematicus per memoriam conseruat species demonstrationum Euclidis, iisque cum voluerit vtens, potest promptè recollere tales demonstra-

monstrationes, & elicere actus scientiæ. Quia verò nos recolendo quæ scimus, dicimus illa intellectualiter in mente nostra, ideo nos per memoriā secundatam speciebus, producimus verbum, quo dicimus quæ scimus. Et quia, per verbum, seu cognitionem actualem boni mouemur ad producendum amorem boni, ideo nos per verbum producimus amorem. Datur igitur in nobis quadam Trinitas, quæ est imago Trinitatis increatæ: ideoque S. Augustinus transferens hæc analogicè ad diuina, docuit, quod proportionaliter Deus Pater per memoriā secundatam producit Verbum, per Verbum producit amorem.

6. Sed explicandum est, quid in Deo intelligatur nomine memoriæ secundæ. Certum est, quod in Deo propriè non datur memoria. Ratio est, quia ex doctrina Aristotelis lib. de memoria, & reminiscencia, cap. 1. memoria propriè est, qua cognoscimus obiecta, vt ante cognita cognitione, quæ iam perit insuit; sed in Deo nulla cognitio præterit, cum sit immutabilis, vt ostensum est quæst. 19. ergo &c. Licet in Deo non detur memoria, propriè dicta, datur tamen analogicè, in quantum habet essentiam diuinam, quæ vt ostensum est quæst. 42. num. 15. est species omnium intelligibilium, & ab Apostolo vocatur *Thesaurus Sapientiæ, & Scientia Dei*, & in quantum per essentiam diuinam cognoscit obiecta, non quidem vt ante cognita, (nam in Deo non datur ante, quod præterierit) sed vt semper cognita. Quia igitur Deus Pater in quantum habet speciem omnium intelligibilium, eaque cognoscit, vt semper cognita, producit Verbum, ideo Deus Pater dicitur producere Verbum per memoriā secundam.

QVAESTIO XCIV.

Quid sit Verbum intellectuale, in quantum abstrahit à creato, & increato, & quid sit Verbum diuinum?

1. Videtur vera sententia Thomistarum, qui sequentes Capreolum in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 1. conc. 1. & Ferrariensem 1. contra Gentes cap. 13. dicunt, quod nos intelligendo equum e. gr. non solum producimus intellectum, qua formaliter intelligimus, sed producimus ipsum equum in quodam esse intentionali, hoc est quamdam imaginem immaterialem equi, quæ imago est immediatum obiectum intellectus, & in qua intelligimus equum, idemque dicunt de aliis obiectis; hæc autem imago est verbum. Fundamentum est, quia intellectus non potest intelligere obiectum, quod non sit in in ipso intelligente; sed equus non potest esse præsens intelligenti secundum suum esse materiale, sed solum secundum aliquam imaginem sui; ergo necesse est, vt intellectus producat in se quamdam imaginem equi, quæ sit immediatum obiectum intellectus, & in qua intelligat equum extrinsecum; sed hæc imago, cum sit obiectum

immediatum intellectus, distinguitur ab intellectu; ergo intellectus intelligendo producit aliquam imaginem obiecti distinctam ab intellectu, quæ imago dicitur verbum. Proportionaliter docent, quod Deus Pater intelligendo se ipsum, producit imaginem sui, quæ dicitur Verbum diuinum, in eaque tanquam in obiecto intelligit se ipsum.

2. Secundò communiter dicitur, quod Pater videt, & scit omnia in Verbo; sed si Verbum non esset obiectum immediatum intellectus, in quo Pater videret cetera, Pater non videret omnia in Verbo; ergo.

3. Tertiò videtur vera sententia P. Antonij Perez, qui disp. 3. de Trinit. cap. 2. & 3. docet intellectum creatum intelligendo non solum producere intellectum actiuum, qua formaliter intelligit, sed etiam intellectum passiuum distinctum ab actiuo, qua formaliter obiectum constituitur intellectum, & hæc esse verbum: idemque dicit proportionaliter de voluntate. Verbum ergo diuinum est intellectus passiuus productus à Patre: Spiritus Sanctus est amor passiuus productus à Patre, & Filio. Fundamentum est, quia præsertim in Deo generatio actiua constitutiua Patris distinguitur à generatione passiuæ constitutiua Filij: spiratio etiam actiua communis Patri, & Filio distinguitur à spiratione passiuæ propria Spiritus Sancti; ergo etiam intellectus actiua distinguitur à passiuo: amor actiuus distinguitur ab amore passiuo, ac proinde Verbum consistit in intellectu passiuo, Spiritus Sanctus in amore passiuo.

4. Quartò nisi admittamus alteram ex duabus opinionibus relatis, non possumus explicare, quid sit Verbum, & quid Spiritus Sanctus; ergo &c.

5. Respondeo, ac dico primo, quod cum intelligimus obiectum, præter intellectum non producimus imaginem intentionalem obiecti distinctam ab intellectu, quæ imago sit obiectum immediatum intellectus, in quo intelligamus obiectum extrinsecum, vt docent Thomistæ.

6. Probatur primò: nam sicut cum videmus colores, cum audimus sonos, visio, & auditio habent pro obiecto immediatissimo ipsos colores, & sonos; sic cum intelligimus equum, leonem &c. intellectus nostra habet pro obiecto immediatissimo ipsum equum, leonem &c. existentes à parte rei, vt constare videtur experientia; sed iuxta hanc opinionem intellectus non haberet pro obiecto immediato equum, leonem &c. sed imaginem equi, leonis &c. existentem in nostra mente, & productam à nobis; ergo &c. Confirmatur: nam sicut videndo non producimus ullam imaginem distinctam à visione, sic intelligendo non producimus ullam imaginem distinctam ab intellectu.

7. Probatur secundò: nam sequeretur, quod beati dum vident Deum, non viderent illum immediatè in se ipso, sed in imagine ac

ver-

Verbo creato, quod est absurdum, adeoque ad illud vitandum multi Thomistæ dicunt, quod beati per visionem beatificam non producant ullum verbum Dei visi, vel saltem non producant verbum adequatum intellectui, quia ut loquitur Caietanus, magis Deum intelligunt, quam possint etiam intellectualiter sibi ipsis dicere, & exprimere. Sed hoc ipsum est absurdum. Nam unusquisque intelligendo dicit intellectualiter sibi ipsi quod intelligit, & tantum dicit, & exprimit, quantum intelligit.

8. Probatur tertio: nam ex dictis quæst. 93. num. 13. Pater producit Verbum, non ex indigentia, quasi indigeat Verbo ut obiecto immediato, in quo omnia alia intelligat, sed ex abundantia: nam quia Pater omnia intelligit in se ipso, & in sua essentia, producit Verbum, ut illi dicendo communicet totam suam scientiam, & essentiam; sed iuxta opinionem Thomistarum Pater produceret Verbum ex indigentia, ut in Verbo tanquam in obiecto immediato omnia intelligeret; ergo &c.

9. Dicendum secundò: intellectio passiva, & amor passivus non distinguuntur ab intellectu activa, & ab amore activo, ac proinde Verbum divinum non consistit in intellectu passiva, & Spiritus Sanctus non consistit in amore passivo.

10. Probatur primo: nam percipi non potest, quod per ipsam intellectionem, quæ ego intelligo equum, equus non constituatur formaliter intellectus à me; & quod è converso per illam intellectionem, per quam equus constituitur formaliter intellectus à me, ego formaliter non intelligam equum. Confirmatur: nam sicut in potentia visiva visio activa non distinguitur à passiva, sic in intellectu.

11. Reiectis his opinionibus, explicandum est, quid sit Verbum in quantum abstrahit à creato, & divino; quid sit amor productus; quid sit verbum creatum, quid Verbum divinum; & quo pacto differat ab amore producto, hoc est à Spiritu Sancto.

12. Dicendum igitur primò: verbum, prout abstrahit à creato, & divino, est actus intelligendi, physice procedens ab intelligente, processione, qua dicitur, exprimitur, & assimilatur intentionaliter obiecto intellecto. Amor productus est actus amandi, physice procedens ab amante, processione, qua amans inclinatur intentionaliter in obiectum amatum, illicque intentionaliter vnitur.

13. Ex allatis descriptionibus infertur primo verbum prout abstrahit à creato, & divino constitui formaliter per tria prædicata. Primum est, ut sit actus intelligendi: secundum est, ut physice procedat, & producat ab intelligente: tertium est, ut procedat processione propria intellectus, & sit in linea processionis intellectualis, qua nimirum dicitur, exprimitur, & assimilatur obiecto intellecto. E.g. cum ego mentaliter definio hominem, ac di-

co, *Homo est animal rationale*, definitio illa mentalis hominis, est verbum mentale hominis, quia est actus intelligendi, physice procedens ab intelligente, & procedit processione propria intellectus, qua nimirum ego dico mentaliter hanc definitionem, & per illam exprimo, quid sit homo, & assimilo illam intentionaliter obiecto, hoc est homini intellecto, ac definito. Proportionaliter amor productus, prout abstrahit à creato, & increato, constituitur per tria prædicata. Primum est, ut sit actus amandi: secundum est, ut physice procedat, & producat ab amante: tertium est, ut procedat processione propria voluntatis, qua nimirum amans inclinatur, & vnitur intentionaliter obiecto amato. E.g. cum ego amo hominem, actus amoris physice procedit, & producit à me, processione propria voluntatis. Nam producendo actum amoris, non dico quidquam de homine, neque exprimo quid, aut qualis sit homo, sed inclino intentionaliter in hominem, illicque me intentionaliter vnio.

14. Infertur secundò, quare essentia divina secundum se præcisè considerata non sit formaliter Verbum, neque Spiritus Sanctus.

15. Dicendum, quod cum essentia divina sit formaliter actus intelligendi, & amandi, non deest illi prima conditio; deest tamen secunda, & tertia conditio. Cum enim essentia divina sit improducta, & identificata cum omnibus Personis divinis, non procedit physice, neque producit ab intelligente, & amante; ergo. Dixi essentiam divinam secundum se præcisè non esse formaliter Verbum. Ceterum enim est, quod realiter, & identice est tota Trinitas, ut magis, & explicabitur in quæst. 100. Ex proportionali ratione prima Persona divina licet sit essentialiter actus intelligendi, & amandi, non est Verbum, neque Spiritus Sanctus, quia cum sit improducta, non procedit physice ab illo intelligente, & amante, prout requiritur ad Verbum, vel Spiritum Sanctum.

16. Infertur tertio, quid debeat addi ratione, & virtualiter essentia divina ad hoc, ut ex ea, & ex hoc addito constituatur Verbum divinum. Dicendum, quod quia essentia divina non deest prima conditio Verbi, ut nimirum sit actus intellectus, ac deest solum secunda, & tertia conditio, ut nimirum sit procedens ab intelligente processione propria intellectus, eo ipso, quod essentia divina addatur processio physica ab intelligente propria intellectus, constitutum ex essentia divina, & ex hac processione erit Verbum. Nam per essentiam divinam erit actus intellectus, per processionem expressivam, & assimilativam, erit procedens intellectualiter ut dictum, & expressum, & assimilatum intentionaliter obiecto intellecto, ac proinde erit Verbum. Confirmatur, & explicatur. Nam quia anima per se ipsam est rationalis, anima autem rationali nihil deest ad hoc, ut constituat physice

sicè hominem, nisi corpus organicum, eo ipso, quod animæ addatur physicè per vnionem corpus organicum, ex anima, & corpore constituitur homo, hoc est animal rationale; ergo quia essentia diuinæ nihil deest ad hoc, vt sit Verbum, nisi processio intellectualis ab intelligente, eo ipso, quod essentia additur per identitatem realem talis processio, ex essentia diuina, & ex tali processione constituitur Verbum. Porro sicut anima rationalis secundum se præcisè non est homo, corpus secundum se præcisè non est homo, totum autem constitutum ex anima, & corpore est homo; sic essentia diuina secundum se præcisè non est formaliter Verbum; processio intellectualis secundum se præcisè non est Verbum; constitutum autem metaphysicè ex essentia, & processione intellectuali realiter identificatis, est Verbum, quia per essentiam est actus intellectionis, per processionem intellectualem procedit intellectualiter ab intelligente. Proportionaliter quia essentia diuinæ, quæ est actus amoris, nihil deest ad hoc, vt sit Spiritus Sanctus, hoc est amor productus, nisi processio passiva, qua physicè procedat ab amante per modum inclinationis, & vnionis cū obiecto amato, addita tali processione, constitutum ex essentia, & ex tali processione passiva est Spiritus Sanctus, seu amor procedens per modum inclinationis, & vnionis cum obiecto amato; siquidem per essentiam est actus amoris, per processionem est procedens ab amante per modum inclinationis. Similiter quia essentia diuinæ, quæ per se ipsam est intelligens, ad hoc vt sit intelligens dicens, & producat Verbum, nihil deest, nisi dictio actiua, qua Verbum intellectualiter dicat, producat, & exprimat, constitutum ex essentia, & tali dictione actiua, est intelligens producat Verbum, hoc est Pater æternus. Quia essentia diuinæ, quæ per se ipsam est amans, nihil deest ad hoc, vt sit amans producat amorem, nisi spiratio, seu productio actiua amoris per modum inclinationis, addita hac productione actiua, totum constitutum ex essentia, & tali productione actiua, est spirator.

17. Infertur quartò, quo pacto tres Personæ diuinæ conueniant, ac differant inter se. Conueniunt in essentia, & in omnibus prædictis absolutis, quæ nimirum non includunt reales origines, seu processionem, ac relationes producentis, & producti, qualia sunt, esse Deum, esse actum intelligendi, & amandi, esse omnipotentem, immensum &c. Differunt, seu distinguuntur per origines, processionem, ac relationes oppositas. Prima enim Persona differt ab alijs per hoc, quod est Deus ingenuus, ac dicens, & generans Verbum; secunda Persona est Deus genitus, dictus, & expressus per processionem intellectualem; tertia Persona est Deus spiratus, hoc est procedens processione per modum inclinationis, & amoris. Prima ergo Persona supra-

essentiam addit originem, & relationem dicens ad dictum: secunda addit originem, & relationem passiuam dicti ad dicentem: tertia, addit originem, & relationem passiuam spirati ad spirantem, vt magis explicabitur infra suo loco.

18. Infertur quintò, quo pacto Verbum diuinum conueniat, ac differat à verbo creato. Dicendum, quod conuenit in eo, quod totum verbum creatum, tum diuinum est actus intelligendi physicè procedens ab intelligente, processione, qua dicitur, exprimitur, & assimilatur intentionaliter obiecto intellecto. Differunt primò, quod verbum creatum ita est actus intelligendi, vt non sit actus amandi: Verbum Diuinum est essentialiter simul actus intelligendi, & amandi, cum includat essentiam diuinam, quæ simul est intellectio, & amor. Differunt secundò, quod intelligens creatum per Verbum à se productum constituitur formaliter intelligens, Deus Pater per Verbum non constituitur formaliter intelligens, sed dicens, & exprimens obiectum, quod supponitur intelligere, vt explicatum est q. 92. num. 4. Differunt tertio, quod verbum creatum procedit, & producit secundum omnia, quæ includit, etiam secundum essentiam: Verbum Diuinum procedit, & producit non secundum essentiam, quæ est improducta, sed solum secundum relationem, per quam, vt virtualiter additam essentia constituitur vltimò Verbum. Differunt quartò, quod verbum creatum non est per se subsistens, neque consubstantialia producenti, sed est accedens illi inharrens: Verbum autem diuinum est per se subsistens, & consubstantialia producenti, vt dicitur quest. 95. vbi etiam afferuntur aliæ differentia.

19. Dices primò: si Verbum non produceretur secundum omnia, quæ includit, non totum Verbum produceretur.

20. Respondeo nego sequelam. Vt enim totum producat, non requiritur, vt producantur omnia, quæ includit, sed sufficit, vt producat id, quo vltimo constituitur. E.g. cum homo generat hominem, totus homo, qui constituitur ex anima, & materia simul vnitis, generatur; & tamen neque materia prima generatur, cum sit ingenerabilis, neque anima rationalis generatur, cum producat à solo Deo per creationem.

21. Dices secundò: vt res procedat, debet procedere aliquid contradistinctum ab ipsa processione; sed in Verbo diuino nihil procedit, vel producit contradistinctum ab ipsa processione passiva Verbi; ergo. Probatur minor: nam in Verbo nihil datur virtualiter contradistinctum ab ipsa processione passiva, nisi diuina essentia; sed essentia diuina non procedit; ergo &c.

22. Respondeo, negando maiorem. Iuxta sententiam satis receptam actus vitales procedunt à potentia vitali se ipsis sine actione, siue processione distinctis, ac proinde ad processio-

nem

nem rei non requiritur, vt procedat aliquid distinctum ab ipsa processione; ergo non est mirum, quod Verbum procedat, licet in Verbo non detur aliquid distinctum ab ipsa processione, quod procedat.

23. Quæres, vtrum Verbum diuinum possit, ac debeat explicari per analogiam ad verbum, non quo intelligens dicit sibi ipsi ea, quæ intelligit, sed quo alloquitur alterum, illique manifestat simul suam intellectiõnem, & rem intellectam.

24. Respondeo duplex dari verbum ad alterum. Primum est verbum externum, & sensibile ore prolatum, quo nos homines profectu huius vite vtimur tanquam signo ad manifestandum alijs nostros conceptus, & res conceptas. Secundum est verbum internum, & intelligibile, quo Angeli iuxta plurimum Theologorum sententiam vtuntur ad manifestandos suos conceptus. Angeli nimirum iuxta hanc opinionem ad manifestandos suos conceptus alteri Angelo, producant in se ipsis quosdam actus intellectus, qui non sunt formaliter intellectio, sed sunt signa immediata intellectiõnis, & consequenter rei intellectæ. In hoc autem verbo intelligibili mente expressio Angelus, ad quem dirigitur, tanquam in signo, & imagine cognoscit intellectiõnem, & rem intellectam, cuius est signum. Licet ergo communiter Theologi verbum diuinum explicant per analogiam ad verbum creatum, quo intelligens loquitur sibi ipsi, tamen aliqui censent id explicandum per analogiam ad verbum intelligibile, quo vnus Angelus alloquitur alterum, ac dicunt, Patrem intelligentem se ipsum mentaliter producere Verbum intelligibile, quo alloquitur Filium, quod Verbum non consistat formaliter in intellectu, sed in signo, seu imagine intellectiõnis, productio, vt in hoc signo cognoscatur à Filio intellectio paterna, & quidquid Pater intelligit. Addunt proprietatem personalem Filij per se ipsam præcisè, prout distinguitur virtualiter ab essentia diuina, & ab intellectu essentiali, habere adæquatè rationem Verbi, seu signi, & imaginis intelligibilis, in qua potest intelligi intellectio paterna; & huic sententiæ, licet sit contra opinionem communiorum, fauere Henricum 2. parte summæ, art. 59. quæst. 3. Aureolum in 1. dist. 27. art. 3. dub. 4. S. Bonauenturam eadem dist. 27. par. 2. art. 1. q. 2. & alios.

25. Contra hanc sententiam dicendum primò: Verbum diuinum non assimilatur verbo ad alterum in hoc, quod non sit formaliter intellectio, sed sit signum intelligibile, & imago paternæ intellectiõnis, mentaliter expressa ad hoc, vt in ea cognoscatur paterna intellectio, & quæcunque tali intellectuone intelliguntur.

26. Probatur primò: nam eatenus intelligens alloquitur alterum per signum sensibile, vel intelligibile distinctum à sua intellectuone, quatenus sua intellectuone non immediatè illi

alteri innotescit, ac proinde debet innotescere per signum distinctum; sed diuina intellectuone identificata cum diuina essentia per se ipsam immediatè innotescit non solum Patri, sed etiam Filio, & Spiritui Sancto; ergo. Probatur minor: nam diuina essentia est adæquata ratio, vt cognoscatur à se ipsa, & ab omnibus Personis, & est adæquatum obiectum formale, quod per se ipsum cognoscitur ab omnibus Personis diuinis, vt dictum est quæst. 42. num. 13.

27. Probatur secundò: nam de ratione verbi, seu locutionis ad alterum per modum signi est, vt possit per se ipsum vt obiectum formale innotescere alteri, & sic possit ducere in cognitionem eius, cuius est signum, tanquam obiecti materialis; sed sola essentia diuina omnibus personis innotescit per se ipsam, tanquam obiectum formale, ac omnis proprietas personalis prout distincta virtualiter ab essentia est obiectum purè materiale innotescens per essentiam; ergo nulla proprietas personalis, ac proinde nec proprietas personalis secundæ Personæ potest habere rationem verbi, seu locutionis ad alterum per modum signi, vt docet opinio relata. Probatur minor: nam vt dictum est quæst. 42. num. 14. de ratione obiecti formalis est, vt sit ratio, à qua est cognitio: sed diuina essentia, cum adæquatè sit à se ipsa, & non sit ab vlla sua proprietate personali, est prima, & adæquata ratio, à qua est diuina cognitio, & intellectuone, quæ omnino identificatur cum diuina essentia; & sicut diuina essentia non est ab vlla proprietate personali, sic diuina cognitio non est ab vlla proprietate personali; ergo nulla proprietas personalis potest esse obiectum formale per se ipsum innotescens vlli Personæ, sed solum potest esse obiectum purè materiale innotescens per essentiam, tanquam per obiectum formale. Confirmatur: nam de ratione obiecti formalis est, vt ab eo sit cognitio; ergo si proprietas personalis esset obiectum formale diuine cognitionis, diuina cognitio esset à proprietate personali; sed diuina cognitio adæquatè identificatur cum diuina essentia; ergo diuina essentia esset à proprietate personali: quod est contra rationem diuinæ essentia, quæ debet esse adæquatè à se, & non ab alio etiam virtualiter distincto.

28. Dicendum secundò: Verbum diuinum assimilatur tum verbo creato ad se ipsum, tum verbo creato ad alterum, & habet perfectionem vtriusque, seclusis imperfectionibus. Probatur: nam verbum creatum ad se ipsum habet hanc perfectionem, vt ita procedat ab intelligente, vt realiter sit ipsa intellectuone, qua intelligens intelligit; sed etiam Verbum diuinum ita procedit ab intelligente, vt sit realiter ipsa essentia, & ipsa intellectuone essentialis, qua Pater intelligit; ergo Verbum diuinum habet hanc perfectionem verbi creati ad se ipsum, seclusa tamen imperfectione verbi creati ad se ipsum, quæ imperfectione

M m

ctio

ctio consistit in hoc, ut verbum creatum producat ex indigentia producentis, hoc est ad hoc, ut per ipsum verbum producat formaliter intelligat; cum Verbum diuinum habeat perfectionem oppositam, ac producat non ex indigentia, sed ex abundantia, ut explicatum est quæst. 92. nu. 13. Rursus verbum creatum ad alterum habet hanc perfectionem, ut producat non ex indigentia, ut nimirum per ipsum producat constitutur intelligens, sed ex abundantia, ut constitutur intelligens alter à loquente, & producat verbum; sed Verbum diuinum procedit non ex indigentia, ut per ipsum Pater intelligat, sed ex abundantia, ut intellectio paterna communicetur Filio, qui est alter à Patre; ergo Verbum diuinum habet hanc perfectionem verbi creati ad alterum, seclusa tamen imperfectione verbi creati ad alterum, quæ consistit in hoc, ut verbum creatum ad alterum non sit realiter intellectio, quæ loquens intelligit: Verbum autem diuinum est realiter essentia diuina, & ipsa formalis intellectio, quæ Pater intelligit. Quia Verbum diuinum habet perfectionem verbi creati ad se ipsum, ideo ut docet Ruiz Tomo de Trinit. disp. 60. sect. 4. n. 1. Pater per Verbum loquitur ad se ipsum, idque probat testimonijs Augustini, Gregorij, Anselmi, & Riccardi, relatis sect. 1. eiusdem disput. 60. num. 8. & sequentibus. Quia idem Verbum diuinum habet perfectionem verbi creati ad alterum, ideo Scripturæ, & Patres ab eodem relati, dicunt Patrem per Verbum loqui etiam ad Filium, & Spiritum Sanctum. Nam Ioan. 12. Christus de se ipso dicit: *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor*: Ioan. 7. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor*: Ioan. 15. *Omnia, quæ audini à Patre meo, nota feci vobis*: Psalmus secundò: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Ioan. 3. *Quod audiuit, & vidit, hoc testificatur*. Ideo Cyrillus lib. 7. Thesaur. cap. 3. dicit: *Loquitur Pater ineffabiliter ad Filium &c.* Quod Pater per Verbum loquatur Filio, & Spiritui Sancto, explicatur. Nam qui producendo verbum, communicat alicui scientiam, loquitur illi; sed Pater producendo Verbum, communicat ipsi Verbo totam suam scientiam, & per Verbum producat communicat totam suam scientiam etiã Spiritui Sancto; ergo Pater per Verbum loquitur Filio, & Spiritui Sancto. Et quia Pater Filio loquitur, sed per Verbum non distinctum ab ipso Filio audiente, Spiritui Sancto loquitur per Verbum distinctum ab audiente; ideo Riccardus de Sancto Victore lib. 6. de Trinit. cap. 12. dicit: *Interna ista locutio agitur auctore Patre solo; nam solus Pater dicit; solus Spiritus Sanctus audit, quia nimirum solus Spiritus Sanctus audit, hoc est accipit scientiam per Verbum à se distinctum, cum Filius non audiat, neque accipiat scientiam per Verbum à se distinctum; licet negari non possit, quod etiam Filius audiat, cum de se ipso dicat Ioan. 15. Omnia, quæ audini à Patre meo, nota feci vobis.*

29. Dicendum tertio: proprietas Verbi prout præscindit ab essentia, non habet adequatè rationem Verbi, sed Verbum constituitur in ratione Verbi non solum per proprietatem personalem, sed etiam per essentiam. Probatur: nam de ratione Verbi est, ut sit ratio intelligendi, vel dicenti, vel audienti; sed proprietas personalis, præscindendo ab essentia non est adequata ratio vlli Personæ; siquidem prima ratio intelligendi omnibus Personis est essentia, ut dictum est num. 26. ergo. Proportionaliter paternitas, præscindendo ab essentia, non habet adequatè rationem Patris, & Filiatio, præscindendo ab essentia, non habet adequatè rationem Filij &c.

30. Ad 1. distinguo maiorem: intellectus non potest intelligere obiectum, quod non sit illi intentionaliter præsens per speciem intelligibilem, vel intransitiuè per ipsam intellectiōnem, concedo: quod non sit illi intentionaliter præsens per aliam imaginem productam per intellectiōnem, & distinctam ab intellectiōne, quæ sit obiectum immediatum intellectiōnis, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sicut potentia visiva non potest videre obiectum, quod non sit in vidente per speciem visibilem, & intransitiuè per visionem ipsam, sed non requiritur, ut sit in vidente per aliquam aliam imaginem productam per visionem, quæ sit immediatum obiectum visionis; sic intellectus nō potest intelligere obiectum, quod non sit in intelligente per speciem intelligibilem, & intransitiuè per ipsam intellectiōnem, absque eo quod debeat esse præsens in alia imagine distincta; præsertim quia cum intellectio in mea sententia reflectat supra se ipsam, obiectum intellectum per intellectiōnem non solum est præsens formaliter, sed etiam obiectiuè, in quantum intellectio, quæ est imago obiecti intellecti, est etiam obiectum sui ipsius.

31. Ad 2. distinguo maiorem: Pater videt, & scit omnia in Verbo, tanquam in obiecto formali, & in ratione cognoscendi, & videndi, nego: Pater videt, & scit omnia transitiuè in Verbo, hoc est videt se ipsum, & omnia esse, ac representari in Verbo, tanquam in imagine ipsius Patris, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dum dicitur, quod Pater videt, & intelligit omnia in Verbo, non significatur, quod Pater intelligit omnia in Verbo, tanquam in obiecto formali, hoc est in ratione intelligendi; sequeretur enim, quod Verbum esset ratio intelligendi Patri, quod est absurdum, ac sæpè reijcitur ab Augustino. Sensus ergo propositionis est transitiuus, ac per illam significatur, quod Pater intelligit se ipsum, & omnia esse in Verbo, tanquam in imagine ipsius Patris. In simili sensu Pater, & Filius amant se, & omnia in Spiritu Sancto, quatenus amant se, & volunt se, & omnia amare esse in Spiritu Sancto, tanquam in amore ab ipsis

ipsis producto. In hoc sensu, intelligere omnia in Verbo, tanquam in imagine intelligentis, est proprium Patris: amare omnia in Spiritu Sancto, tanquam in amore amantis, est proprium Patris, & Filij. Ratio verò, cur omnes similes propositiones debeant intelligi transitiue, est, quia Pater purè dat Verbo, non accipit; Pater, & Filius purè dant Spiritui Sancto, non accipiunt, adeoque quæ dicuntur propriè de ipsis, significant purè actionem transitiuam dandi, non intransitiuam accipiendi.

32. Ad: concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, nam ideo productio actiua, & productio passiuæ debent distinguì, quia vtraque productio importat, aut fundat relationem realem producentis, & producti, quarum altera est intrinseca producenti, altera est intrinseca producto; sed cognitio actiua importat quidem relationem realem cognoscentis ad obiectum cognitum; cognitio autem passiuæ, qua obiectum constituitur cognitum, non importat relationem realem cogniti ad cognoscentem, sed est denominatio purè extrinseca, qua cognitum denominatur à cognitione intrinseca cognoscentis, vt ex Aristotele 5. Metaph. text. 10. docet S. Thomas 1. parte quæst. 13. art. 7. ad 4. & 6. ergo.

QVAESTIO XCV.

Virum Verbum, & Spiritus Sanctus sint verus Deus, æqualis, & consubstantialis Patri, & vtrum in Trinitate tres Personæ sint unus Deus, & non plures Dij?

1. Videtur, quod neque Verbum, neque Spiritus Sanctus sint verus Deus, æqualis, & consubstantialis Patri; primo quia verbum hominis, & Angeli non sunt homo aut Angelus; ergo Verbum, & amor productus Dei non sunt verus Deus.

2. Secundò Persona producta non potest esse verus Deus, æqualis, & consubstantialis Personæ improductæ; sed Verbum, & Spiritus Sanctus sunt Personæ productæ; ergo &c. Probatür maior: nam Deus est à se, & non ab alio; non est causatus, neque factus; non dependet, neque indiget alio; & nullo est posterior tempore, neque natura; & non accipit esse ab alio; sed Persona producta eo ipso, quod est producta, non est à se, sed à producente, ab eoque dependet, causatur, & fit, & accipit totum esse, atque indiget producente, & est tempore, vel saltem natura, aut origine posterior producenti; ergo &c. Confirmatur: nam omne, quod producitür, vel producitür ex nihilo, adeoque creatur, vel producitür ex aliquo præexistente, & est compositum ex eo, quod præexistit, & ex eo, quod accipit per

productionem; sed vtrumque repugnat Deo: ergo &c.

3. Tertiò ad hoc, vt Verbum, & Spiritus Sanctus essent verus Deus, deberent per productionem accipere deitatem, atque essentiam diuinam; sed neque accipiunt eandem numero deitatem, siquidem vt constat inductione, nullum productum accipit naturam producentis eandem numero; neque accipiunt deitatem eandem specie, & numero diuersam; nam sicut repugnant plures numero Dij, sic repugnant plures numero deitates; ergo.

4. Quartò nihil creatum est Deus; sed Verbum, seu Sapientia genita dicit se esse creatam: nam Ecclesiast. 24. de se ipsa dicit: *Et dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me; & paulo post, Ab initio, & ante secula creata sum: Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam.* Apostolus etiam de Verbo loquens ad Coloss. 1. vocat illud primogenitum creaturæ: A fortiori Spiritus Sanctus videtur creatus, & factus: Nam Ioan. 1. de Verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil;* ergo Spiritus Sanctus cum sit aliquid, & non sit nihil, factus est per Verbum. Confirmatur, nam Ioan. 17. Christus dixit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum;* ergo solus Pater, cum quo Christus loquebatur, est verus Deus, adeoque Filius, & Spiritus Sanctus, cum non sint Pater, non sunt verus Deus.

5. Quintò Deo repugnat, vt accipiat, doceatur, adiuetur, mittatur, doneatur, præceptum recipiat, scrutetur, oret, postulet, gemat &c. sed hæc omnia in Scripturis tribuuntur partim Verbo, partim Spiritui Sancto; ergo &c.

6. Sextò in Deo non datur defectus potestatis, aut scientiæ; sed in Verbo datur talis defectus: nam Matth. 20. dixit: *Sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis:* Matth. 24. dicit: *De die autem illa, atque hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, sed solus Pater;* ergo &c. Videtur etiam dari defectus scientiæ in Spiritu Sancto. Nam Luca 10. 22. dicitur: *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cur voluerit Filius reuelare;* adeoque Spiritus Sanctus non scit, quis sit Pater, & Filius.

7. Septimo si Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus essent verus Deus, essent omnino æquales inter se; sed non sunt æquales; nam Christus Ioan. 4. dicit: *Pater maior me est:* 1. Corint. 10. Filius dicitur esse subiectus Patri. Confirmatur, nam ex testimonio Christi relato act. 20. *Beatius est dare, quam accipere;* sed Pater dat, aliæ Personæ accipiunt; ergo &c.

8. Respondeo de fide est Verbum, & Spiritum Sanctum esse verum Deum, consubstantialem, & æqualem Patri. Ioannes enim. Epist. 1. cap. vltimo de Verbo dicit: *Et simus in vero Filio eius: hic est verus Deus;* de Spiritu Sancto S. Petrus act. 5. dicit: *Ananias cur tentauit Sanctum*

anas cor tuum mentiri Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo. Et quidem de Verbo, seu Filio Concilium Nicænum primum quinque definiuit contra Arium. Primò quod sit verus Deus; secundo quod sit hominifios, hoc est eadem essentia cum Patre; tertio quod sit æternus; quartò quod sit immutabilis, sicut Pater; quinto quod sit genitus, non factus; atque eadem proportionabiliter in Concil. Constantinop. primo contra Macedonium definita sunt de Spiritu Sancto, excepto quod non est genitus, sed procedens. Argumenta, quibus probatur hæc veritas, videri possunt apud Belarmin. libro 3. de Christo à cap. 4. vsque ad finem.

9. Supposita fide, potest hæc veritas suaderi, & explicari rationibus consequentibus fidem. Prima ratio est: quidquid est in Deo est ipse Deus; sed Verbum, & Spiritus Sanctus, ut dictum est quæstione 88. procedunt per actiones immanentes, adeoque manent in Deo; ergo sunt ipse Deus: ideoque Ioannes initio Euangelij cum dixisset: *Verbum erat apud Deum*, statim subdit, & *Deus erat Verbum*, quia nimirum Deus est quicquid est in Deo, siue apud Deum.

10. Secunda ratio est: ex dictis quæst. 88. Deus producit Verbum, & Spiritum Sanctum per operationes ad intra, ut se summè illis communicet; sed Deus non potest se summè communicare, nisi dando identitatem cum diuina essentia, quæ ut dictum est quæst. 24. est vna tantum, & continet omne bonum, omnesque perfectiones simpliciter simplices; ergo Deus Verbo, & Spiritui Sancto dat identitatem cum diuina essentia; sed quod habet identitatem cum diuina essentia, est verus Deus consubstantialis, & æqualis Patri; siquidem est idem cum omni bono, & cum omni perfectione, sicut Pater; ergo &c. Hanc rationem insinuat Christus Ioan. 10. 29. ubi cum dixisset: *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est*, subdit, *Ego, & Pater vnum sumus*, per identitatem videlicet essentia: quia nimirum si Pater Filio non dedisset identitatem cum diuina essentia, per quam esset vnum cum Patre, quod dedisset Filio non esset maius omnibus, adeoque non se summè communicasset Filio.

11. Tertia ratio est: quod ita est in Deo, ut sit substantia, necessario, & ab æterno existens, immensa, & principium omnium factibilium, est verus Deus; sed hæc omnia conueniunt Verbo, & Spiritui Sancto; ergo &c. Minor probatur, & primo quod sit substantia. Deus enim est incapax accidentium; ergo eo ipso, quod Verbum, & Spiritus Sanctus sunt in Deo, sunt substantia, & non accidentes. Secundò probatur, quod sit necessario, & ab æterno. Quod necessario, & ab æterno intelligit, & amat, necessario, & ab æterno producit Verbum, & amorem, eo pacto, quo si homo, vel Angelus ab æterno, & necessario intelligeret, & amaret, ab æterno, & ne-

cessario producerent verbum, & amorem; sed Deus ab æterno, & necessario intelligit, & amat; ergo &c. Tertiò probatur immensitas. Nam quod intelligendo producit Verbum, & amorem, vbiqueque est, habet suum Verbum, & amorem; sed Deus per immensitatem est vbique; ergo etiam Verbum, & Spiritus Sanctus sunt vbique. Quartò demum ostenditur, quod sint principium omnium factibilium. Ut enim insinuat Sanctus Thomas 1. parte, quæst. 27. artic. 1. ad 3. quod operatur per artem, omnia facit per Verbum, seu conceptum, & ideam rei artificialis, & per amorem, seu voluntatem, ut opus artificiale sit simile, idem, hoc est verbo concepto; sed Deus ad extra omnia facit ut artifex; ergo Deus ad extra omnia facit per Verbum, & Spiritum Sanctum; ideoque Ioannes initio Euangelij de Verbo dixit: *Omnia per ipsum facta sunt*: & David Psalm. 32. *Verbo Domini Celi firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*.

12. Quarta ratio desumpta ex S. Thoma, lib. 4. contra Gentes cap. 11. est: Verbum ex sua ratione est imago intelligendo producta, constituens per suam essentiam obiectum formaliter intellectum; sed Deus Pater intelligendo producit Verbum sui ipsius; ergo Verbum Dei ex sua ratione est imago producta Dei Patris, constituens Deum formaliter intellectum; sed Verbum ut constituat Deum Patrem formaliter intellectum, debet includere formam, per quam Deus Pater constituitur formaliter intellectus; ergo Verbum Dei includit formam, per quam Deus Pater constituitur formaliter intellectus; sed per eandem formam, per quam intellectus constituitur formaliter intelligens, obiectum constituitur formaliter intellectum; ergo Verbum includit formam, per quam Deus Pater constituitur formaliter intelligens; sed Deus Pater constituitur formaliter intelligens se ipsum, & omnia, per substantiam, & essentiam diuinam, ut ostensum est quæst. 92; ergo Verbum ex sua ratione includit ipsam substantiam, & essentiam diuinam, adeoque est verus Deus, & consubstantialis Patri. Ex proportionali ratione Spiritus Sanctus est verus Deus consubstantialis Patri, & Filio. Nam est quadam inclinatio producta constituens obiectum formaliter amatum, adeoque includit formam, per quam obiectum constituitur formaliter amatum; sed per eandem formam obiectum constituitur formaliter amatum, per quam voluntas constituitur formaliter amans; ergo Spiritus Sanctus includit formam, per quam Deus constituitur formaliter amans seipsum, & alia; sed talis forma est essentia diuina, ut dictum est quæst. 92; ergo Spiritus Sanctus includit essentiam diuinam, adeoque est Deus consubstantialis Patri, & Filio. Ex opposita ratione verbum hominis, & amor productus ab homine non est verus homo, nec includit essentiam hominis. Verbum enim hominis, & amor includunt formam, per quam homo

con-

constituitur intelligens, & amans; sed homo constituitur formaliter intelligens, & amans, non per suam substantiam, sed per accidens superadditum essentiae, & substantiae; ergo verbum, & amor hominis non includunt essentiam, & substantiam, sed accidens hominis, ac non sunt verus homo, sed accidens hominis. Cum igitur homo intelligendo seipsum, producit Verbum sui ipsius, Verbum illud est homo ut intellectus, quod idem est, ac si dicatur, est homo pater, sed non est verus homo; at cum Deus Pater intelligendo se ipsum, producit verbum sui ipsius, verbum illud non solum est Deus ut intellectus, sed est verus Deus. Ex hoc loco Sancti Thomae patet illum non distinguere intellectionem actiuam à passiuā, siquidem ex eius identitate probat essentiam Patris esse communem Verbo.

13. Ex eo, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint verus Deus per vnā numero deitatem, inferitur primò, quod licet sint plures Personae, non sunt plures Dij, sed vnus verus Deus. Ratio est, quia ut docet S. Thomas quæst. 29. art. 3. nomina concreta substantiua præsertim significantia substantiam, cum forma significata est vna tantum numero, dicuntur singulariter, cum est multiplex, dicuntur pluraliter; sed nomen Personae significat personalitatem ut formam; in Deo autem sunt tres personalitates; nomen Deus significat deitatem ut formam; deitas autem est vnica; ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Personae, ac dici non potest, quod sint vnica Personae; at sunt vnus Deus, ac dici non potest, quod sunt plures Dij. Ex proportionali ratione, quia Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum vnica spiratione, ut dicitur inferius, q. 107. sunt vnus spirator, ac non duo spiratores; quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus creant, & gubernant mundum vnica creatione, & gubernatione; (siquidem actiones ad extra sunt communes omnibus Personis;) sunt vnus creator, opifex, & gubernator mundi, non autem plures creatores &c. Addo, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non solum, sunt vnus Deus in eo sensu, in quo si plures Personae haberent vnā humanitatem, essent vnus homo, sed etiam in alio sensu perfectiori. Plures enim Personae essent vnus homo, sed non essent vna humanitas; & præterea humanitas non esset homo, sed forma hominis. At Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ita sunt vnus Deus, ut sint vna deitas, quæ maxime est Deus. Proportionaliter ita sunt vnus æternus, ut sint vna æternitas &c.

14. Inferitur secundò Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum posse dici tres æternos, immensos, omnipotentes, sapientes &c. ut loquitur Concilium Lateranense relatum cap. firmiter de summa Trinitate, & posse etiam dici, quod sunt vnus æternus, immensus &c. ut loquitur Athanasius in suo Symbolo. Ratio est, quia ut citata quæst. 39. art. 3. docet Sanctus

Thomas, nomina adiectiua concreta, cum subiectum significatum est multiplex, dicuntur pluraliter, etiam si forma significata sit vna; cum verò subiectum significatum est vnum tantum, dicuntur singulariter, etiam si forma significata sit multiplex; ideoque si vnum subiectum esset album pluribus albedinibus, esset vnum album: si autem plura subiecta essent alba vna albedine, essent plura alba; sed nomina adiectiua æterni, immensi &c. significant ut subiectum *Habens æternitatem &c.* ipsam autem æternitatem, immensitatem &c. significant ut formam; ergo licet sit vna tantum æternitas, immensitas &c. si tamen sint plures habentes illam vnā æternitatem &c. dicuntur pluraliter; si sit vnum tantum habens, dicuntur singulariter; sed sunt tres Personae habentes vnā æternitatem &c. ergo significando Personas ut subiectum habens, sunt tres æterni, immensi &c. & in hoc sensu loquitur Lateranense. Rursus vnus tantum est Deus habens æternitatem, immensitatem &c. ergo significando Deum ut subiectum habens, sunt vnus æternus &c. & in hoc sensu loquitur Athanasius. Dici etiam potest, quod illa nomina, licet sint adiectiua, tamen dici possunt substantiue, & tunc dicuntur singulariter. Possunt aliqua opponi contra duas regulas, allatas, quibus non libet immorari. Solum dico, quod regula de nominibus, cum pendeat ex vsu, ex ipso vsu habere possunt exceptionem, quæ in re præsentantur in nominibus, quæ cum sint substantiua grammaticaliter, significant formam grammaticaliter accidentalem, & cum sint adiectiua, significant formam substantialem.

15. Inferitur tertio, tum Filium, tum Spiritum Sanctum esse homiūson, hoc est eiusdem essentiae cum Patre, non autem homiūson, hoc est similis essentiae. Ratio est, quia similitudo essentiae connotat distinctionem saltem numericam essentiarum; sed tres Personae sunt vnus, & eiusdem essentiae sine vlla distinctione essentiarum; ergo &c. Et quidem falsum est nomen homiūson inuentum fuisse à Concilio Nicæno, ut calumniabantur Arriani, siquidem ut ostendit Athanasius lib. de Decretis Synodi Nicænæ, ante illam Synodum duo Dionysij, alter Romanus, alter Alexandrinus, alique Patres eo nomine fuerant vsi. Cum igitur, ut refert Sanctus Ambrosius lib. 3. de Fide, cap. 7. Eusebius Nicomediensis Arrianorum antesignanus in quadam sua Epistola scripisset, si verum Dei Filium, & increatum dicimus homiūson cum Patre incipimus confiteri, & hæc Epistola lecta fuisset in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu, hoc est Symbolo fidei, posuerunt Patres, quod viderent aduersariis esse formidini. Ex opposito, quia Arriani ad adstruendam distinctionem essentiarum, dicebant Filiū esse homiūson Patri, hoc aliud nomen fuit passim à Catholicis reiectum. Addit Bellar. l. 2. de Christo cap. 3. nomen homiūson videri diuinitus inuentū. Ut enim

enim docet Sanctus Athanasius lib. de Synodis Arimini, & Seleucia, & S. Basilius in quadam Epistola ad Ancillas Dei hominibus de ijs tantum dicitur, quorum vnum est ab altero, & ab illo accipit eandem essentiam, ideoque vnicum nomen iugular duos contrarios errores; alterum Sabellij, qui concessa unitate essentiae, negabat processionem, & distinctionem Personarum; alterum Arij, qui concessa distinctione, & processione Personarum, negabat unitatem essentiae.

16. Inferitur quartò Filium esse alium, masculinè à Patre, sed non esse aliud neutraliter, idemque dic de Spiritu Sancto, vt docet S. Thomas 1. parte quaest. 31. art. 2. in corpore, & ad 4. ex Augustino, vel potius Fulgentio lib. de Fide ad Petrum cap. 2. vbi dicit. *Vna est essentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quamuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Id ipsum docet Concilium Lateranense relatum cap. firmiter de Summa Trinitate, cuius verba afferam num. 17. Ratio allata à S. Thoma ad 4. est, quia genus neutrum, cum abstrahat à masculino, & feminino, significat naturam, & essentiam communem: masculinum autem, & femininum significant suppositum determinatum; ideoque in communi sermone, cum quaerimus, quis est? quaerimus Personam, siue suppositum, ideoque respondetur, *est Petrus, vel Paulus*: cum per neutrum quaerimus quid est? quaerimus essentiam, & naturam, ideoque respondetur *est homo, vel equus*; sed Pater, & Filius distinguuntur supposito, non natura; ergo Filius est alius, sed non est aliud à Patre. Ex simili ratione Filius est alter à Patre, sed non est alterum, vt ex Fulgentio, Hilario, Athanasio, & Bernardo docet Suarius lib. 3. de Trinit. cap. 13. num. 6. Proportionaliter Filius est vnum cum Patre, iuxta illud Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*, sed non est vnus cum Patre: est idem neutraliter cum Patre, sed non est idem masculinè, vt docet Vasquez disput. 181. cap. 1.

17. Iam cum dicitur, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnum sunt, Abbas Ioachim id ita intellexit, vt sint vnum quasi collectiue, & similitudinariè, eo pacto, quo multi homines sunt vnus populus, multi fideles vna Ecclesia: qui adharet Deo vnus Spiritus est cum illo, & omnes nos vnum corpus sumus in Christo, vt loquitur Apostolus. Hanc opinionem vt haereticam damnavit Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi, vt refertur cap. firmiter de summa Trinitate, ac definiuit vt veram oppositam sententiam Magistri sententiarum, hoc est Petri Lombardi, dicens. *Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus cum Petro, quod quadam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quae veraciter est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Persona, & singillatim qualibet ea-*

rundem: & ideo in Deo solummodò Trinitas est, non quaternitas, quia qualibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina, quae sola est vniuersorum principium, prater quod aliud esse non potest; & illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, vt distinctiones sint in Personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino. Haecenus Concilium. De fide igitur est, quod tres Personae sunt vnum, non collectiue, & similitudinariè, sed ita, vt sint vna summa res, hoc est essentia, & substantia, ac natura diuina, omnino simplex, vt paulò ante dixerat Innocentius. Et ideo in Deo non est quaternitas, sed Trinitas, quia essentia communis tribus Personis, non est quarta res à Personis distincta, sed est qualibet trium Personarum.

18. Inferitur quintò, quod licet in Deo detur Trinitas, tamen non datur triplicitas, neque multiplicitas, adeoque Deus est quidem Trinus, sed non est triplex, neque multiplex, vt docet S. Thomas 1. parte, quaest. 31. art. 1. ad 3. & S. Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 6. 7. & 8. & lib. 15. cap. 3. Ratio est, quia Trinitas significat numerum ternarium; sed datur in Deo numerus ternarius Personarum; ergo datur in Deo Trinitas, adeoque Deus est trinus, siquidem trinus significat, quod habet in se numerum ternarium. At vt bene docet Vasquez disput. 131. cap. 3. *multiplex*. eiusque species, quae sunt *duplex, triplex &c.* vel opponitur simplici, vel opponitur vni; sed Deus est simplex, & vnus; ergo non potest dici multiplex, neque triplex. Admittit tamen Vasquez posse dici, quod in Deo datur multiplex persona, multiplex emanatio, eo pacto, quo S. Thomas quaest. 10. de potentia art. 2. dicit dari in Deo duplicem emanationem.

19. Debet aduerti, quod licet haec, & alia similia spectent ad vsum nominum, tamen sunt magni momenti. Audiatur S. Thomas 1. parte, quaest. 31. art. 2. in corpore, ex eoque Hieronymus, & Augustinus. Dicendum, quod quia ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis, vt Hieronymus dicit, ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modestia est agendum, quia vt Augustinus dicit in 1. de Trinitate cap. 3. *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius inuenitur.*

20. Ad 1. ex eo, quod Verbum productum ab homine non sit verus homo, concedo antecedens; & nego consequentiam, quod Verbum productum à Deo non sit verus Deus. Disparitas allata est n. 12. in 4. ratione, quia ostensum est Verbum, & Spiritum Sanctum esse verum Deum.

21. Ad 2. nego maiorem, in qua assumitur, quod Persona producta non potest esse verus,

verus Deus æqualis, & cōsubstantialis Personæ improductæ. Dum opponitur primò: Deus est à se, & non accipit esse ab alio; Persona producta non est à se, & accipit esse à producente: ergo &c. distinguo maiorem: Deus quoad essentiam est à se, & non accipit esse ab alio, concedo; quoad omnem Personam, quæ Deus sit; nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiā. Essentia Dei, quæ primo, & ratione sui est Deus, est à se, & non accipit esse ab alio, ac Deus quoad essentiam est à se, & non accipit esse ab alio. Rursus Deus quoad aliquam Personam est à se, & non accipit esse ab alio, & talis est Persona Patris: at non quoad omnes Personas est à se. Nam Persona Filij est Deus à Patre, ac Deus de Deo, & Persona Spiritus Sancti est Deus à Patre, & Filio. Omnis tamen Persona licet non formaliter, tamen identicè est Deus à se, quia est ipsa deitas, quæ est Deus à se, & non accipiens esse ab alio.

22. Dum opponitur secundò: Persona producta eo ipso, quod est producta, est causata, & facta, ac dependet à producente, eoque indiget; nego quod dicitur. Causari, & fieri non est produci utcumque, sed est ita produci, ut productum nec identicè sit à se, nec sit prima virtus existendi sibi ipsi: dependere, & indigere non est produci utcumque, sed est ita produci, ut productum nec identicè sit perfecta sufficientia existendi sibi; sed Filius, & Spiritus Sanctus ita producuntur, ut sint ipsa deitas, quæ est adequata virtus, & sufficientia existendi sibi, & omnibus Personis diuinis; ergo ita producuntur, ut non causentur, neque fiant, non dependant, neque indigeant, sed habeant oppositas perfectiones.

23. Debet aduerti, quod licet Patres græci iuxta proprietatem illius linguæ dicant, Patrem æternum esse causam Filij, & Filium causari à Patre, tamen Latini negant Patrem esse causam, ac solum concedunt esse principium; Filium verò, & Spiritum Sanctum non solum negant causari, sed etiam negant principiari, quia hoc, quod est *Principiari* videtur significare initium temporis; nomen verò causæ denotat distinctionem naturarum, ut docet S. Thomas opusc. 1. cap. 1.

24. Cum tertio opponitur, quod omne, quod producitur, est posterius tempore, vel natura, nego primam partem, & distinguo secundam: si distinguitur secundum naturam, est posterius natura, concedo; si non distinguitur secundum naturam, nego. Non omne, quod producitur, est posterius tempore, ut patet in splendore, qui producitur à Sole, & non est posterior Sole; siquidem nunquam fuit Sol sine suo splendore. Rursus cum productum secundum naturam non distinguitur à producente, non est posterius natura. Ratio est, quia ex Aristotele in prædicamentis cap. de *aliquid*, relatiua sunt simul cognitione, & natura; sed Pater, & Filius dicuntur relati-

uè; ergo secundum esse relatiuum Patris, & Filij, sunt simul, adeoque Filius secundum relationem Filij non est posterior natura; sed neque est posterior natura secundum essentiam, & naturam, quæ non distinguitur; ergo &c.

25. Ad confirmationem, nego quod omne, quod producitur, vel producitur ex nihilo, vel ex aliquo præexistente. Si enim productum sit consubstantiale, & coæternum producenti, non producitur ex nihilo, sed ex substantia producentis, non præexistente, sed coæterna producenti. Rursus ut productum sit compositum, debet addere aliquid distinctum realiter ab eo, à quo producitur; sed Filius, & Spiritus Sanctus ita producantur de essentia, & substantia Patris, ut nihil addant realiter distinctum ab essentia, & substantia; ergo &c.

26. Aduertit S. Thomas quæst. 41. art. 3. in corpore, esse contrā rationem Verbi, & Filij, ut producat ex nihilo, vel ex aliquo pure extrinseco producenti; siquidem ad Filium requiritur, ut producat de substantia Patris, ut dicitur quæst. 98. explicando definitionem generationis; ergo si Verbum fuisset creatum, & productum ex nihilo, ut dicebant Ariani, non esset verus Filius Dei, quod est contra illud Ioannis epist. 1. cap. 1. *Ut simus in vero Filio eius*; ergo necesse est, ut Verbum generetur ex substantia Patris, & in hoc conuenit cum Filio creato. At Filius Dei differt à Filio creato in duobus. Primo pater creatus, cum habeat substantiam constantem ex partibus, generat Filium, non ex tota sua substantia, sed solum ex parte, hoc est ex semine. At Pater æternus, cum habeat substantiam carentem partibus, generat Filium ex tota sua substantia. Secundò pater creatus non retinet illam partem substantiæ, ex qua generat filium, sed illam transmittit in filium; at Deus Pater ita communicat Filio totam suam substantiam, ut illam retineat, ut docet Innocentius Tertius cap. *firmiter*, & cap. *damnamus*; idemque proportionaliter dic de Spiritu Sancto. Quia Filius, & Spiritus Sanctus accipiunt totam deitatem, & totam essentiam, & substantiam Patris, non potest dici, quod participant deitatem, vel substantiam Patris, quia participare est accipere partem substantiæ.

27. Potest quæri, quid significetur, cum dicitur, quod Filius Dei generatur, & est de substantia Patris, ut docet Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 19. Fulgent. lib. de fide ad Petrum, cap. 2. Magister Sententiarum, & S. Thomas 1. parte quæst. 41. art. 3. in corpore, & ut definiunt Concilia Toletana 3. 4. & 11. in confessione Fidei.

28. Respondeo, quod particula *de*, in quantum refertur ad substantiam, significat principium quasi formale, & denotat Filium constitui per substantiam, & essentiam Patris, hoc est per deitatem, tanquam per formam, eo pacto, quo homo genitus constituitur per

hu,

humanitatem. At in quantum refertur ad Patrem, significat principium consubstantialitatis originis, ac denotat Filium esse à Patre, tanquam à principio consubstantiali originis. Hinc sequitur, quod licet Pater sit consubstantialis Filio, tamen non est de substantia Filij, quia non procedit à Filio, tanquam à principio originis. Proportionaliter Spiritus Sanctus est de substantia Patris, & Filij, sed Pater, & Filius non sunt de substantia Spiritus Sancti. Rursus Trinitas non potest dici de substantia, & essentia diuina, ita ut significetur principium originis, ut docet S. Thomas q. 41. art. 3. ad 3. Aduertit Sanctus Augustinus lib. de nat. boni cap. 26. particulam *Ex* significare principium quaecunque, particulam *De* regulariter significare principium consubstantialitatis, ideoque creaturæ regulariter dicuntur esse ex Deo, non de Deo, quia non procedunt à Deo, tanquam à principio consubstantiali, atque eiusdem essentiae. Videri potest Vasquez disp. 162.

29. Ad 3. Filius, & Spiritus Sanctus sunt verus Deus, quia accipiunt à Deo producente deitatem eandem, non solum specie, sed etiam numero, siquidem repugnant plures numero deitates, ut ostensum est quæst. 19. Dum opponitur inductio creaturarum, in quibus produciens nunquam dat essentiam eandem numero: respondeo id accidere ex imperfectione creaturarum. Produciens enim per productionem vniocam intendit producere alterum se, in quantum potest; creaturæ quia non possunt producere alterum se cum eadem numero essentia, produciunt alterum se cum eadem specie essentia. At Deus Pater producit alterum se cum eadem numero essentia, & cum distinctione purè personali, ac relatiua. Ideo Nazianzenus lib. de fide, seu oratione 49. post medium loquens de Sapientia genita dicit: *Hæc est enim Filius Dei, eo quod Pater sit alius idem, per quam facta sunt omnia*: Et paulo post: *Et hoc est, quod homines appellant, hoc est alium ipsum*.

30. Ad 4. Ex doctrina S. Thomæ 1. par. quæst. 41. art. 3. ad 4. Scripturæ, in quibus Sapientia dicitur creata, possunt tripliciter explicari. Primò sicut opus artis aliquando vocatur ars, sic opus sapientiæ aliquando vocatur sapientia; & quia mundus est opus Sapientiæ diuinæ, Deus creando mundum, dicitur creasse sapientiam. Dum igitur Ecclesiasticus 1. de sapientia dicitur, *ipse creauit eam, & effudit eam super omnia opera sua*, nomine sapientiæ non intelligitur Verbum Dei, sed mundus. Secundò Sapientia, seu Filius Dei sicut propter generationem æternam, per quam accipit formam Dei, quæ est increata, dicitur non creatus, non factus, sed genitus, sic propter generationem temporalem ex Virgine, per quam factus est homo, & accepit formam serui, seu naturam creatam, dicitur facta, & creata. In hoc sensu Ecclesiasticus 24. Sapientia de se ipsa dicit: *Et dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, id est*

qui in hominem creauit me; & paulo post: *Ante sæcula creata sum, hoc est præuisa sum creanda in hominem, seu naturæ creatæ vnienda*. Tertiò sicut Sapientia dicitur genita ad significandum, quod habet hanc perfectionem geniti, ut sit consubstantialis generanti, sic aliquando dicitur creata improprie, ad significandum, quod habet hanc perfectionem, ut sit producta sine vlla mutatione producentis; & in hoc sensu locus ille: *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, explicatur ad Hilario de Synodis.

31. Dum Sapientia dicitur prodijisse primogenita, ante omnem creaturam, & Filius Dei dicitur primogenitus inter multos fratres, non significatur Filium Dei esse creaturam, sed solum esse genitum ante omnes creaturas. Filius igitur Dei sicut dicitur vnigenitus, quia non est genitus alius Filius naturalis Dei, sic ad Romanos 8. dicitur primogenitus inter multos fratres, quia multi sunt geniti Filij adoptiui. Dum de Verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, significatur, quod omnia facta, sunt facta per Verbum, & nihil est factum sine ipso. Ex hoc autem non sequitur Spiritum Sanctum esse factum, sicut non sequitur Patrem esse factum.

32. Ad confirmationem: ex Doctrina S. Augustini lib. 6. de Trinitate cap. 9. & S. Thomæ 4. contra Gentes, cap. 8. dum Christus dixit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*, solum non debet coniungi cum te, quod indicat Personam Patris, ita ut sensus sit: *Ut cognoscant te, qui solus es verus Deus, sed debet coniungi cum Deo, ut sensus sit, ut cognoscant te, qui es verus Deus solus*, ita ut non sit alius Deus; sed Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem verus Deus cum Patre; ergo sunt idem verus, & solus Deus, ideoque de tota Trinitate verificatur, quod est solus verus Deus. Hinc est, ut Sanctus Ioan. in fine primæ Epistolæ, quasi exponens hæc verba, quibus Christus Patri dixerat: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*, tribuat Christo vtrumque, ut sit vita æterna, & ut sit verus Deus, dicens: *Ut cognoscamus verum Deum, & simus in verò Filio eius; hic est verus Deus, & vita æterna*.

33. Ad 5. distinguo maiorem: Deo ingentito, ac non procedenti repugnat, ut aliquid accipiat, ac doceatur, concedo: Deo genito, ac procedenti, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Deo genito, ac procedenti non solum non repugnat, ut accipiat naturam diuinam, sed necesse est, ut illam accipiat, alioquin non esset Deus genitus, & procedens. Sicut enim non est filius, hoc est homo genitus, qui per generationem non accipit veram humanitatem, sic non esset Deus genitus, ac procedens, qui per generationem, & processionem non accipit veram deitatem. Quod autem Pater det Filio deitatem, per quam sit æqualis Patri, patet ex verbis Christi Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi maius omni-*

omnibus est; sed sola Deitas est maius omnibus; ergo Pater dat Filio deitatem. Rursus Christus Lucæ 10. 22. dixit. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; sed non omnia essent data Filio, nisi data esset deitas, quæ sola est æquivalenter omnia; ergo &c. Apostolus etiam ad Philipp. 2. dicit: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen*; sed solum nomen significans Deum verum, æqualem Patri est super omne nomen; ergo &c. Demum Christus Ioan. 16. dicit, *omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, & Ioan. 17. *Omnia tua mea sunt*; sed nisi eadem deitas vtrique esset communis, non omnia Patris essent Filij; ergo &c. Proportionaliter Deus genitus, & procedens docetur à producente; ideoque Christus Ioan. 28. dixit: *Sicut docuit me Pater*, sed docetur non quasi ignorans, sed quasi accipiens omnem scientiam; sed Filius, & Spiritus Sanctus eo ipso, quod per generationem, & processionem accipiunt deitatem, quæ est omnis scientia, accipiunt omnem scientiam; ergo docentur, sed non quasi ignorantes (nam qui est idem cum omni scientia, proculdubio non potest esse ignorans) sed per hoc, quod scientiam non habeant à se, sed à Patre, ideoque Christus Ioan. 7. 16. dixit: *Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me*.

34. Sicut Deo procedenti non repugnat, quod accipiat, & doceatur, sic non repugnat, quod mittatur. Ratio est, quia ad missionem sufficit, vt Persona missa ita procedat à mittente, vt aliquo modo incipiat esse de nouo in termino, ad quem mittitur; sed Filius Dei ita procedit à Patre, vt per Incarnationem, aliquo nouo modo incipiat esse in mundo inferiori per carnem assumptam; Spiritus Sanctus ita procedit à Patre, & Filio, vt descendens super Apostolos aliquo nouo modo inceperit esse visibiliter in illis per speciem ignis, per dona linguarum &c. & quotidie in ijs, qui iustificantur, incipit esse inuisibiliter per gratiam sanctificantem; ergo Filius, & Spiritus Sanctus mittuntur tum visibiliter, tum inuisibiliter. Solus Pater, licet aliquando descendat visibiliter, vel inuisibiliter, iuxta illud, *ad eum veniemus*, tamen quia non procedit, non mittitur. Quo pacto Filius, & Spiritus Sanctus donentur, explicabitur infra quæst. 98. num. 17.

35. Denique cum opponitur, quod Deo repugnat, vt præceptum accipiat, oret, postulet, & gemat, distinguo: repugnat Deo secundum naturam Dei, concedo; secundum naturam serui assumptam à Verbo, nego. Christus secundum naturam Dei, per quam æqualis est Patri, non potest recipere præceptum, nec obedire, orare, postulare, gemere, adiuari &c. At secundum naturam humanam assumptam, secundum quam inferior est Patri, est capax omnium horum. Cum verò de Spiritu Sancto dicitur, quod orat, & postulat gemitibus inenarrabilibus, debent hæc intelligi transitiuè, ita vt significetur, quod facit nos orare, gemere &c.

36. Ad 6. nego in Filio, & Spiritu Sancto

dari vllum defectum potestatis, aut scientiæ; siquidem omnia, quæ potest, & scit Pater, potest etiam, & scit Filius, sed ita, vt Pater potentiam, & scientiam habeat à se, Filius, & Spiritus Sanctus habeant à Patre. Dum Christus dixit, *sedere ad dextram meam, aut sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, expressè asseruit se habere potestatem dandi ijs, quibus paratum est à Patre secundum æternam prædestinationem, ac solum negauit ad se spectare dare illis secundum generationem carnalem, prout ab illis petebatur. Rursus cum dixit, *quibus paratum est à Patre*, non negauit in se esse potestatem parandi, cum Ioan. 14. dixerit: *vado parare vobis locum*; ergo quandoquidem Filius habet potestatem parandi locum, & habet potestatem dandi locum dextrum, aut sinistrum ijs, quibus paratum est à Patre, & Filio, habet absolutè omnem potestatem, quam habet Pater, sed illam habet à Patre, cum Pater non habeat ab alia Persona; ideoque Matth. 28. Filius dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra*. Sicut Filius habet omnem potestatem, quam habet Pater, sic habet omnem scientiam, quam habet Pater, sed illam habet à Patre; ideoque sicut Pater, sic etiam Filius scit diem iudicii. Dum Christus dixit: *De die autem illa, atque hora nemo scit neque Angeli, neque Filius, sed solus Pater*, non negauit Filium scire vt Deum, sed negauit scire vt hominem; immò neque negauit Filium vt hominem absolutè scire diem iudicii, sed solum negauit scire ad reuelandum, iuxta consuetum modum loquendi, quo ea, quæ nos scimus secretò, ita vt reuelare non possimus, dicimus nos nescire. Quia ergo solus Pater, hoc est sola Trinitas sciebat ad reuelandum, cum reuelasset humanitati Christi, Filius autem vt homo non sciebat ad reuelandum, Christus dixit se nescire diem iudicii, hoc est ita se habere ad illum reuelandum, ac si omnino nesciret.

37. Proportionaliter omnia, quæ sciunt Pater, & Filius, scit etiam Spiritus Sanctus, sed ita, vt sicut à Patre, & Filio accipit deitatem, sic accipiat scientiam; ideoque Filius de Spiritu Sancto dixit, *quæ audiet, loquetur, quia de meo accipiet, & annuntiabit*. Cum ergo dicitur *nemo scit Filium, nisi Pater, & nemo scit Patrem, nisi Filius*, non excluditur Spiritus Sanctus, qui est idem Deus cum Patre, & Filio; sicut cum 1. ad Corint. 2. dicitur. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei*, non excluduntur Pater, & Filius ex eadem ratione. Est igitur regula vniuersalis, vt quicquid in Scripturis dicitur de vna Persona ratione deitatis, etiam si dicatur cum particula exclusiua, non excludantur aliæ Personæ, sed intelligatur dici etiam de alijs Personis, eo pacto, quo dum dicitur, *quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei*, quia Spiritui Sancto conuenit scire quæ sunt Dei ratione deitatis communis Patri, & Filio, non negatur Patrem, & Filium scire quæ sunt Dei, sed potius subintelligitur affirmari.

N n

38. Ad

282 De circuminfeſſione Perſonarum

38. Ad 7. ſicut Chriſtus dixit: *Pater maior me eſt*, ſic Apoſtolus ad Philip. 2. de Chriſto dixit: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*; & quia vnusquique arbitratur rapinam ſibi tribuere quod ſuum non eſt, ideo Filius ſecundum formam Dei eſt æqualis Deo; ergo cum ipſe Filius dixit, *Pater maior me eſt*, affirmavit Patrem eſſe maiorem Filio, non ſecundum formam Dei, per quam Filius eſt æqualis Patri, ſed ſecundum formam ſerui, quam aſſumens minoratus eſt, & factus eſt minor, non ſolum Patre, ſed etiam Angelis; iuxta illud Apoſtoli ad Hebr. 2. *Eum, qui modicè ab Angelis minoratus, vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria coronatum*. Proportionaliter Filius dicitur eſſe ſubiectus Patri, non ſecundum formam Dei, ſed ſecundum formam ſerui, quam pro nobis aſſumpſit.

39. Dum opponitur: ex teſtimonio Chriſti act. 20. *Beatius eſt dare, quam accipere*; Pater dat, aliæ Perſonæ accipiunt; ergo &c. diſtinguo maiorem; beatius eſt dare, quam accipere quod eſt æquiualeuter omnia, nego; quod non eſt æquiualeuter omnia, concedo maiorem; concedo minorem; & nego conſequentiam. Implicat in terminis, vt aliquid ſit beatius, & melius, quam eſſe æquiualeuter omnia; ſed Perſonæ productæ accipiunt à Patre eſſe Deum, & eſſe ipſam deitatem, quæ eſt æquiualeuter omnia, & eſt etiam æquiualeuter ipſum bonum dandi; ergo implicat in terminis, vt beatius, & melius ſit dare deitatem, quam illam accipere. Ex oppoſita ratione beatius eſt dare, quam accipere quod non eſt æquiualeuter omnia, quia tunc non datur aliquid, quod contineat æquiualeuter bonum dandi; bonum autem dandi quod non eſt æquiualeuter omnia, præeminet bono illud accipiendi.

QVÆSTIO XCVI.

Virum qualibet Perſona diuina ſecundum ſe totam ſit in qualibet alia Perſona per circuminfeſſionem?

1. **V**ideretur non dari circuminfeſſio, primo, ſi vna Perſona diuina eſſet in alia, vna Perſona eſſet vnita alteri; ſed hoc non admittitur; ergo &c.

2. Secundò Pater licet ſit in Filio ſecundum eſſentiam, non eſt in Filio ſecundum Paternitatem; ergo non eſt in Filio ſecundum ſe totum.

3. Reſpondeo de fide eſſe, quod quælibet Perſona diuina eſt in alia. Ioan. enim 10. *Ve credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Ioan. 17. *Ut omnes vnũ ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te*. Ideo Patres, qui videri poſſunt apud Ruiz diſp. 107. ſect. 2. docuerunt vnanimiter quamlibet Perſonam diuinam eſſe in alia; ex quibus Auguſtinus lib. 6. de Trinitate cap. 10. dicit: *Singula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in*

in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia. Hanc mirabilem inexiſtentiam, per quam quælibet diuina Perſona eſt in alia, Scholaſtici circuminfeſſionem vocarunt; & licet hoc nomen non inueniatur expreſſum apud antiquos Patres, tamen videtur originem habuiſſe à Dionyſio cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi dicit: *Primariarum, principaliumque Perſonarum, ſi ita dicendum eſt, aliarum in alijs omnino coniuncta, & nulla ex parte confuſa manſio, & ſedes*. A ſede igitur dicta eſt ſeſſio, & quia eſt aliarum Perſonarum in alijs ſeſſio, dicta eſt circuminfeſſio, vt notat Ruiz.

Henricus in ſumma, vt reſertur à Scoto in 1. diſt. 19. quæſt. 1. docuit vnã Perſonam diuinam eſſe in alia, non ſecundum ſe totam, ſed ſolum ſecundum eſſentiam, putã Patrem eſſe in Filio ſecundum eſſentiam, non autem ſecundum paternitatem, adeoque non ſecundum ſe totum; & huic opinioni videtur conſentire Durandus in 1. diſt. 19. quæſt. 4.

4. Diceadum cum Scoto, alijsque communiter, quos reſert, & ſequitur Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 16. & Vaſquez diſp. 169. cap. 2. quod licet vna Perſona diuina ſit in alia ratione eſſentia, tamen ſecundum ſe totam, etiam ſecundum perſonalitatem eſt in alia, eo pacto, quo licet anima ſit in corpore per vnionem, tamen ipſa anima eſt in corpore. Ratio eſt, quia identitas in eſſentia eſt ſumma quædam, & intima communicatio maior quacunque, communicatione vnionis; ergo ſi per vnionem anima ipſa eſt in corpore, multo magis per identitatem eſſentia, per quam eſſentia Filij identificatur cum Patre, & cum Filio, Filius, eiusque perſonalitas eſt intimè in Patre, & in paternitate, & e conuerſo. Filius igitur eſt in Patre, & e conuerſo, non per inherẽtiam, eo pacto, quo accidens eſt in ſubiecto, ſed vt ens ſubſtantiale, & ſubſiſtens in ente ſubſtantiali, & ſubſiſtente. Præterea tota Trinitas, & omnes Perſonæ ſunt in ſingulis Perſonis, puta, omnes tres Perſonæ ſunt in Patre, vt dicit Auguſtinus verbis citatis num. 3.

5. Addit S. Thomas 1. par. quæſt. 42. art. 5. quod vna Perſona eſt in alia, non ſolum ratione eſſentia, ſed etiam ratione originis, & ratione relationis. Filius enim, & Spiritus Sanctus procedunt per actiones immanentes; ſed terminus actionis immanentis manet in producente; ergo Filius manet in Patre, & Spiritus Sanctus in Patre, & Filio; & e conuerſo Pater eſt in Filio tanquam in ſuo Verbo, & imagine intima ipſi Patri; Pater, & Filius ſunt in Spiritu Sancto, tanquam in ſuo amore ſibi intimo. Rurſus relatiua ſunt ſimul cognitione, adeoque vnum eſt in alio quoad cognosci; ſed omnes Perſonæ ſunt ad inuicem relatiua; ergo vna Perſona eſt in alia quoad cognosci; ideoque Chriſtus Io. 14. dixit: *Qui videt me, videt, & Patrem meum*, & deinde ſubiit: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Addi demum poteſt ex Ruiz diſp. 107. ſect. 7. quamlibet Perſonam diuinam eſſe in alia ratione immenſitatis.

6. Ad

6. Ad 1.º nego sequelam. Quia vna Persona diuina est in alia per vnitatem essentiae; nomina autem coniuncti, & vniti significant aliquid minus vnitatem essentiae; ideo Personae diuinae non debent dici coniunctae, & vnitae, sed debent dici vnum in essentia. Hinc est, vt Patres Concilij Alexandrini in epistola 10. apud Cyrillum dicant, *imò & coniunctionis nomen euitamus, tanquam non existens idoneum, quod significet vnitatis arcanum.* Quia tamen non desunt Theologi, qui loquentes de Trinitate, vtuntur nominibus coniunctionis, & vniõis, ideo Vasquez disp. 131. eorum vsum non audet damnare.

7. Ad 2.º nego antecedens. Explicatum enim est, quo pacto quælibet Persona diuina sit in alia, etiam secundum propriam personalitatem. Debet tamen aduerti, quod quælibet Persona secundum essentiam est in alia constitutiuè, siquidem quælibet Persona constituitur per essentiam communem, & per personalitatem propriam; sed secundum personalitatem non est in alia constitutiuè; siquidem Persona Filij non constituitur per personalitatem Patris, neque Persona Patris per personalitatem Filij &c.

QVÆSTIO XCVII.

Virum Persona procedens sit origine posterior producente?

1. Videtur, quod Persona procedens sit posterior origine respectu principij, à quo procedit: effectus enim eo ipso, quod realiter procedit à sua causa, habet posterioritatem naturæ respectu causæ, quæ posterioritas est realis, ac non solum rationis; ergo Persona diuina eo ipso quod realiter procedit à suo principio, est posterior origine respectu sui principij, prioritate, quæ est realis, ac non solum rationis.

2. Respondeo, quod omnes Scholastici cum S. Thoma 1.º p. quæst. 42. art. 3. docent inter Personas diuinas dari ordinem naturæ, & originis consistentem in hoc, quod vna Persona à parte rei sit ab alia. Docent rursus Patrem, qui non est ab alia Persona, esse re ipsa primam Personam; Filium, qui est solum à prima Persona, esse secundam Personam; Spiritum Sanctum, qui est à prima, & secunda Persona, esse tertiam Personam. Positis his, superest quæstio de nomine, vtum Pater, sicut secundum originem est prima Persona, & Filius est secunda Persona, sic Pater debeat dici prior origine, & Filius debeat dici posterior origine secundum rem ipsam. Negant S. Thomas loco citato, S. Bonaventura, & plures alij; concedit Scotus, quem sequitur Vasquez disp. 167. c. 2.

3. In hac quæstione de nomine, sequor S. Thomam, ac dico inter Personas diuinas dari ordinem originis sine vlla prioritate, vel

posterioritate reali, iuxta illud Athanasij in symbolo: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius.* Probatur: nam ex dictis quæst. 95. num. 22. licet vna Persona producat, altera producat, tamen producat non est causa, producta non est effectus, neque causata: ergo licet vna Persona producat, altera producat, tamen producat non est prior origine, producta non est posterior origine; ergo &c. Probatur consequentia: ideo enim Persona diuina producta non causatur, neque est effectus, quia ita producitur, & procedit, vt non habeat imperfectionem effectus, & causati, quæ consistit in hoc, vt neque identicè sit ens à se, ac sibi sufficiens ad essendum: siquidem Persona diuina producta, cum identificetur cum essentia diuina, quæ est à se, eo ipso identicè est à se, & est sibi sufficiens ad essendum; sed Persona diuina producta ita procedit à producente, vt non habeat imperfectionem posterioris origine, quæ consistit in hoc, vt ita procedat, vt neque identicè sit ipsum primum ens, ante quod nullum aliud est; siquidem Personae diuinae productae, cum identificentur cum essentia, quæ est primum ens, ante quod non est aliud ens, eo ipso identicè sunt primum ens, ante quod non est aliud ens; ergo.

4. Infertur nomina primæ, secundæ, & tertie Personæ significare metum ordinem sine vlla prioritate, vel posterioritate reali, licet quia cum nos nominamus Personas, prius nominamus primam, quam secundam, detur prioritas quædam rationis, non in ordine ad actum intelligendi; (siquidem Personas vt potè relatiuas simul intelligimus;) sed in ordine ad actum nominandi.

5. Ad argumentum in contrarium, concedo antecedens, & nego consequentiam. Effectus causati ideo sunt posteriores natura suis causis, quia neque identicè sunt ipsum primum; sed Personae diuinae productae sunt identicè ipsum primum; ergo non sunt origine posteriores producentibus.

QVÆSTIO XCVIII.

Virum, & quare Verbum sit imago Patris, nascatur, generetur, & sit Filius naturalis Dei: Spiritus Sanctus non sit imago, sed donum, ac non nascatur, nec generetur, nec sit Filius naturalis Dei?

S. Th. qu. 27. ar. 2. & 4.

1. Primò videtur, quod Verbum non sit propriè Filius, ac propriè non generetur. Ex Aristotele enim 5. phys. tex. 7. Generatio est mutatio à non subiecto in subiectum, & Na 2 à non

à non esse ad esse, & fit ex aliqua materia; sed hæc repugnant Verbo; ergo &c.

2. Secundò si Verbum esset propriè Filius, & propriè generaretur, etiam Spiritus Sanctus propriè generaretur, & esset Filius. Nam generatio propria Filij est origo viuens à viuentis, principio coniuncto, in similitudinem naturæ; sed processio Spiritus Sancti est origo viuens à viuentis, principio coniuncto, in similitudinem naturæ: siquidem Spiritus Sanctus ex vi processionis accipit naturam diuinam, & procedit vt Deus; ergo &c.

3. Tertiò videtur, quod non solum Verbum, sed etiam Spiritus Sanctus sit imago. Imago enim est, quæ ita procedit ab exemplari, vt sit similis exemplari; sed Spiritus Sanctus ita procedit à Patre, & Filio, vt sit similis Patri, & Filio; ergo est imago Patris, & Filij.

4. Respondeo, quod explicatis his, quæ sunt diuinis Personis communia, sequitur, vt explicemus quæ sunt propria Verbi, & Spiritus Sancti.

5. Primò igitur Verbum procedit ab vna solum Persona, hoc est à Patre; Spiritus Sanctus procedit à duabus, hoc est à Patre, & Filio. Hinc sequitur primo, quod Verbum est secunda Persona; Spiritus Sanctus est tertia. Ratio est, quia prima Persona est, quæ non procedit ab alia; Persona, quæ procedit solum à prima, eo ipso est secunda; Persona, quæ procedit à prima, & secunda, eo ipso est tertia; sed Pater non procedit ab alia Persona; Verbum procedit solum à Patre; Spiritus Sanctus à Patre, & Verbo; ergo &c. Sequitur secundo, quod Verbum procedit per primam, Spiritus Sanctus per secundam processionem. Ratio est, quia processio non supponens aliam processionem est prima; processio supponens aliam processionem, est secunda; sed processio Verbi non supponit processionem amoris, & ab illa supponitur; ergo &c.

6. Secundò Verbum accipit omnia non solum essentialia, sed etiam notionalia producat, excepto hoc, quod est, esse Patrem, seu, producere Verbum. Patet. Nam Verbum non solum accipit Deitatem, sed etiam spirationem actiuam, per quæ est vnus spirator cum Patre, & explicabitur inferius q. 10. sed esse spiratorem non est prædicatum essentialiale, sed notionale, cum non sit commune omnibus Personis; ergo &c. At Spiritus Sanctus à Patre, & Filio accipit sola essentialia, nullum autem notionale Patris, & Filij, quod nimirum non sit omnibus tribus Personis commune.

7. Tertiò Verbum ex proprietate personali Verbi est solum actus intellectus, & est in linea intellectuali; Spiritus Sanctus ex sua proprietate personali est solum actus voluntatis, & est in linea voluntatis. Ratio est, quia Verbum, & dictio passiva sunt actus intelle-

ctus, & sunt in linea intellectuali: inclinatio autem producentis in obiectum amatum, & spiratio passiva sunt actus voluntatis, & sunt in linea voluntatis: ergo &c.

8. Dixi Verbum ex sua proprietate personali esse solum in linea intellectuali, & esse solum actum intellectus, quia ex essentia est simul actus intellectus, & voluntatis, & est in vtraque linea; siquidem essentia diuina est simul intellectio, & volitio, vt ostensum est quæst. 42. Ex eadem ratione Spiritus Sanctus ex essentia est simul actus intellectus, & voluntatis, & est in vtraque linea. Proportionaliter Pater ex proprietate personali Patris est solum in linea intellectuali, & constituitur intellectus notionalis actiuus; ex notione spirationis Pater, & Filius sunt in linea voluntatis, & constituuntur voluntas, seu volitio notionalis actiuæ. Ratio est, quia dicere spectat ad lineam intellectus, spirare spectat ad lineam voluntatis; sed Pater per paternitatem est dicens; Pater, & Filius per spirationem actiuam sunt spirantes; ergo &c. Omnes igitur tres Personæ per essentiam sunt in vtraque linea, intellectus, & voluntatis; Patre, & Filio per proprietates personales dicentis, & dicti sunt in sola linea intellectuali, per notionem communem spiratoris sunt in linea voluntatis; Spiritus Sanctus per proprietatem personalem spirati est in sola linea voluntatis. Hinc patet, in quo sensu Verbum producat per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem. Dicendum, quod Verbum producat per intellectum, quia producat per principium, quod licet per essentiam sit simul in linea intellectus, & voluntatis, tamen constituitur principium Verbi per notionem dicentis, quæ est in linea solius intellectus. At Spiritus Sanctus producat per voluntatem, quia producat à principio, quod constituitur principium Spiritus Sancti per notionem spirantis, quæ est in linea solius voluntatis. Ex proportionali ratione licet Verbum per essentiam sit simul intellectio, & amor, tamen quia constituitur in ratione Verbi per notionem dicti, quæ est in linea solius intellectus, est actus intellectus, non voluntatis; Spiritus Sanctus, quia constituitur Spiritus Sanctus per notionem spirati, quæ est in linea voluntatis, est actus voluntatis, non intellectus. Rursus Verbum producat intelligendo, non autem amando, quia producat actione, quæ est in linea intellectus; Spiritus Sanctus producat amando, quia producat actione, quæ est in linea voluntatis.

9. Quartò Verbum est propriè imago, Spiritus Sanctus non est propriè imago. Ratio est, quia omnis actus intellectus, si ad eius imitationem aliquid producat, est exemplar; si autem ipse producat ad imitationem obiecti distincti, à quo procedat, propriè est imago talis obiecti; è conuerso actus voluntatis ex sua ratione non est imago; sed Verbum ex sua ratione est actus intelle-

ctus,

Quis, & est in linea intellectuali, ac produci-
tur ad imitationem Patris, a quo procedit;
Spiritus Sanctus est actus voluntatis; ergo &c.
Hinc est, ut Apostolus ad Coloss. 1. de Filio
dicat: *Qui est imago Dei invisibilis*; & ad Heb.
1. *Qui cum sit splendor gloriae, & figura substan-
tiae eius*, Græcè *Hypostaseos*, hoc est Personæ.
Figura autem rei est imago rei. At Spiritus
Sanctus nullibi in scripturis vocatur imago.

10. Dices primò: ad imaginem sufficit,
ut sit similis alteri; sed Spiritus Sanctus est
simillimus Patri, & Filio; ergo est imago Pa-
tris, & Filij.

11. Respondeo, negando maiorem. Vt
enim ex S. Augustino lib. 83. quæst. 73. &
74. docet S. Thomas 1. par. quæst. 3. art. 1. ad
imaginem non sufficit similitudo, sed requi-
ritur origo. Ideo licet duo ova sint similli-
ma, tamen vnum non est imago alterius, quia
non procedit ab illo.

12. Dices secundò: saltem ad imaginem
sufficit, ut vnum procedat ab altero, tanquam
simile illi; sed Spiritus Sanctus procedit à Pa-
tre, & Filio, tanquam illis simillimus; ergo
est imago Patris, & Filij.

13. Respondeo nego maiorem, ac dico ad
imaginem non sufficere, ut procedat ab alte-
ro tanquam simile illi, sed requiri, ut proce-
dat per actionem assimilatiam, expressiam,
& imitativam illius. Patet. Nam cum quis
reflexè cognoscit suum amorem, illumque
amat, tum cognitio, tum amor amoris pro-
cedit ab amore, tanquam ab obiecto, & amor
procedit ut similior amori, quam cognitio, &
tamen cognitio amoris est imago amoris,
amor amoris non est imago amoris, non ex
alia ratione, nisi quia cognitio amoris proce-
dit ab amore per actionem assimilatiam, ex-
pressiam, & imitativam amoris; amor amo-
ris procedit per actionem non imitativam,
neque expressiam, seu assimilatiam, sed vni-
tativam; ergo licet tum Verbum tum Spiritus
Sanctus procedant tanquam similes produ-
centi, tamen quia Verbum procedit per actio-
nem de linea intellectus, ac proinde assimi-
latiam, imitativam, & expressiam, Spiritus
Sanctus procedit per actionem de linea vo-
luntatis, ac proinde non imitativam, neque
expressiam, Verbum procedit ut imago, Spi-
ritus Sanctus non procedit ut imago.

14. Dices tertio: omne agens, eo ipso,
quod producit, producit per actionem assi-
milatiam, ideoque dicitur, quod omne
agens agit ad assimilandum sibi suum effe-
ctum; sed Pater, & Filius producant Spiritum
Sanctum ipsis simillimum; ergo.

15. Respondeo, distinguo maiorem: om-
ne agens naturale, concedo: omne agens in-
tentionale, nego. Agentia naturalia habent
vnum tantummodum agendi, nimirum per
actionem assimilatiam, ideoque eo ipso,
quod producant simile, producant per actio-
nem assimilatiam, & imitativam. At agen-
tia intentionalia habent duos modos agendi,

cognoscitivum nimirum, qui est per assimi-
lationem, imitationem, & expressionem obie-
cti, & appetitivum, qui est per inclinationem
in obiectum; sed Deus ad intra agit intentio-
naliter per intellectum, & voluntatem; ergo
agit per duas actiones, alteram de linea intel-
lectus, quæ est assimilatia, & imitativa, &
per hæc producit Verbum, quod est imago Pa-
tris; alteram de linea voluntatis, quæ non est
imitativa, sed inclinativa, & per hanc produ-
cit Spiritum Sanctum, qui non est imago, sed
inclinatio, & unio Patris cum Filio. Istæ duæ
actiones differunt ex suo modo tendendi, ea-
rumque differentiam, quam experimur in
nobis, applicamus actionibus divinis ad intra,
ac dicimus Deum habere duos modos agendi
ad intra.

16. Circà nomen imaginis advertit S.
Thomas 1. par. quæst. 35. art. 1. & 2. quod
sumitur tripliciter. Primo sumitur improprie,
prout confunditur cum exemplari; & in hoc
sensu est nomen essentialiter commune
omnibus Personis divinis, quæ ratione es-
sentia sunt exemplar, ad cuius imitationem
factus est homo. In hoc sensu loquitur S. Au-
gustinus, vel potius Fulgentius lib. de fide ad
Petrum cap. 1. dicens: *Vna est Sanctæ Trinita-
tis divinitas, & imago, ad quam factus est homo*.
Secundo potest sumi communiter, in quan-
tum significat productum perfecte simile
producenti; & sic nomen imaginis est notio-
nale commune Filio, & Spiritui Sancto, non
autem Patri. In hoc sensu Damascenus lib. 1.
de fide, cap. 18. dicit: *Spiritus Sanctus est imago
Filij*. Eodem pacto loquuntur plures alij Pa-
tres Græci. Tertiò potest sumi proprie, in
quantum significat productum, quod ita est
simile producenti, ut ex propria ratione pro-
cedat tanquam expressum, & representa-
tium producentis; & sic nomen imaginis est
proprium Filij. In hoc sensu Patres Latini,
& ex Græcis Athanasius dicunt solum Filium
esse imaginem. In Epistola enim de Decretis
Synodi Nicænæ paulo ante medium dicit:
*Et quandoquidem unus est Deus, necesse quoque est
vnam esse eius imaginem, quæ est Filius*. Idem do-
cet alijs locis.

17. Quintò Spiritus Sanctus est primum
donum, Filius non est primum donum, ut
docet S. Thomas 1. par. quæst. 33. art. 1. & 2.
Ratio est, quia donum dicitur, quod ita est
alicuius, ut possit alteri liberaliter dari, ita ut
ab illo, cui datur, habeatur, & possideatur;
& quia omne, quod datur alteri liberaliter,
datur ex amore, ideo amor, quo volumus
alteri donare, est primum donum; sed Spi-
ritus Sanctus est Patris, & Filij per processio-
nem, & ex sua proprietate personali est amor;
Filius licet sit Patris per processionem, tamen
ex sua proprietate personali non est amor, sed
Verbum; ergo Spiritus Sanctus est primum
donum, Filius non est primum donum. Li-
cet igitur etiam Filius sit donum, & de facto
fuerit à Patre datus mundo, tamen non fuit
datus

datus ut primum, sed ut secundum donum; ideoque Ioan. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, quia diligendo mundum, dedit amorem, seu Spiritum Sanctum ut primum donum, & ex amore dedit Filium ut secundum donum.*

18. Tria debent aduerti. Primum est, quod quia donum debet esse dantis; dupliciter autem potest aliquid esse dantis, primo per identitatem, secundo per processionem, donum in diuinis dicitur dupliciter; primo quod est dantis per identitatem; secundo quod est dantis per processionem. Donum in quantum est dantis per identitatem, est nomen essentiale, & commune omnibus Personis; siquidem qualibet Persona, etiam Pater, in quantum est sui ipsius per identitatem, potest dare se ipsum. Si donum sumatur in quantum est dantis per processionem, est nomen notionale commune, sed solum Filio, & Spiritui Sancto; siquidem Filius, cum sit Patris per processionem, potest donari à Patre, & Spiritus Sanctus donari potest à Patre, & Filio; at Pater cum nullius sit per processionem, donari non potest. Rursus in hoc secundo sensu Pater potest donare Filium, & Spiritum Sanctum, sed ipse donari non potest, ideoque potest esse donans, non potest esse donum: Filius potest donari à Patre, & donare Spiritum Sanctum, ac proinde & potest esse donum Patris, & potest esse donans Spiritum Sanctum: Spiritus Sanctus potest donari à Patre, & Filio, sed non potest donare ullam Personam, ideoque potest esse donum, sed non potest esse donans. Secundo debet aduerti, quod Personæ diuinæ possunt donari solis creaturis rationalibus. Ratio est, quia donum illi soli potest donari, quod est capax eo fruendi, vel utendi, prout voluerit; sed solæ creaturæ rationales sunt capaces fruendi Personis diuinis, illas cognoscendo, & amando, & utendo effectibus earum; ergo &c. Tertio debet aduerti, quod Spiritus Sanctus dicitur donum primum, non solum ex eo, quod actu donetur, sed etiam ex eo, quod aptum est donari ut primum donum.

19. Sexto Verbum propriè nascitur, eiusque processio est propria natiuitas, ideoque iuxta Symbolum Nicænum credimus in *Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula.* At Spiritus Sanctus non nascitur, eiusque processio non est natiuitas. Conclusio est de fide. Ut eius rationem asseram ex P. Antonio Perez disput. 3. de Deo, cap. 1. num. 66. præmittendum est ex Aristotele 5. Metaph. cap. 4. quid sit nasci, & quid natiuitas. *Nasci* (Verba sunt Philosophi) dicuntur, quæcumque incrementum per aliud habent, tangendo, & conascendo, aut adnascendo, sicut embryones. Ex Aristotele igitur duæ conditiones requiruntur ad nasci. Prima, ut res oriatur ex principio, ut illi coniuncta; secunda ut propter hanc coniunctionem habeat aliquod incrementum, ideoque explicando has conditiones, definiri

potest natiuitas: *Per quam aliquid procedit ex suo principio, tanquam illi coniunctum, ita ut propter ipsam coniunctionem habeat aliquod incrementum.* Patet inductione in omnibus, quæ propriè dicuntur nasci. Herbar, & plantar dicuntur nasci ex terra, quia originem ducunt ex terra, ita ut maneant illi coniunctæ per radices, & sic accipiant aliquod incrementum: ex proportionali ratione animalia dicuntur nasci ex utero, & in utero matris: Pili, Capilli, Nactæ dicuntur nasci in corpore animalis; sed Verbum ita procedit à Patre, tanquam à principio coniuncto per identitatem naturæ, & inspirationis actiue, ut propter identitatem inspirationis actiue accipiat aliquod incrementum personale in sua natura, per quod natura Verbi propagatur in Spiritum Sanctum: è conuerso Spiritus Sanctus ita procedit à Patre, & Filio, ut nullum sumat incrementum; siquidem productio Spiritu Sancto, natura diuina non communicatur alteri Personæ; ergo &c. Nec obstat, quod Verbum sumat incrementum personale in sensu quodam analogico. Nam omnia nomina in quantum dicuntur de Deo, & creaturis, dicuntur non omnino vniuocè, sed secundum quandam analogiam, per quam abstrahuntur ab omnibus imperfectionibus, ut docet S. Tho. 1. par. q. 13. art. 5.

20. Debet aduerti, quod ad natiuitatem non requiritur, ut quod nascitur sumat actualiter aliquod incrementum, sed sufficit, ut sumat aptitudinaliter, seu debeat sumere, etiam si per accidens non sumat, eo quod aliquid accidat præter naturam. E.g. si fingamus plantam aliquam exsiccare, & mori statim, ac prodijt ex terra, absque eo quod sumat ullam incrementum, nihilominus propriè nascitur, quia debuit sumere incrementum, licet per accidens non sumpserit.

21. Septimò Verbum ita nascitur, ut eius natiuitas sit simul conceptio, & partus, ideoque simul concipitur, & paritur. Hinc est, ut Verbum, seu Sapientia genita Proverb. 8. de se ipsa dicat: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram;* & paulo post: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Ratio est, quia ut colligitur ex S. Thom. 4. contra Gentes cap. 11. conceptio est natiuitas, per quam viuens cognoscituum ita procedit ab alio viuente cognoscituum, ut maneant illi coniuncti; partus est natiuitas, per quam viuens cognoscituum ita procedit ab alio viuente cognoscituum, ut accipiat ultimam distinctionem à generante, quam potest, ac debet habere, ut perfectè subsistat in se ipso; sed Verbum diuinum per eandem natiuitatem ita procedit à Patre, ut maneant in Patre, & ut accipiat ultimam distinctionem à Patre, quam potest, ac debet habere, ut perfectè subsistat; ergo simul concipitur, & paritur. In creatis nihil simul concipitur, & paritur. Ratio est, quia viuencia cognoscitua, creata, ut perfectè subsistant in se ipsis, debent separari ab utero concipientium, ideoque tunc accipiunt ultimam distinctionem localem, quam

quam possunt, ac debent habere, cum egrediuntur, & separantur ab utero, sed non possunt simul manere in concipiente, & separati à concipiente ad accipiendam ultimam distinctionem, quam possunt habere; ergo &c. Spiritus Sanctus, quia non nascitur, ideo neque concipitur, neque paritur, siquidem, tum conceptio, tum partus debet esse quædam nativitas.

22. Dices: concipere, & parere, est proprium matris, & non convenit patri; ergo &c.

23. Respondeo, distinguo antecedens: concipere, & parere per modum principij purè actiui, nego; per modum principij passivi, & receptivi, concedo: & nego consequentiam. De ratione matris est, ut non sit principium purè actiuum, sed passiuum, & receptiuum; sed Deus generat, concipit, & parit Verbum ut principium purè actiuum, ac purè dando, & agendo, non autem patiando, & recipiendo; ergo &c. Videri potest S. Tho. 4. contra Gentes cap. 11. in fine.

24. Debet aduerti, quod inferiora, quia concipiuntur, nascuntur, generantur, & pariuntur cum aliquo motu, & cum aliqua successione, ideo dum concipiuntur, adhuc non sunt perfectè concepta, cum generantur, nascuntur, & pariuntur, non sunt perfectè generata, nata, & parita; & rursus cum iam sunt perfectè concepta, genita, nata, & parita, desinunt concipi, generari, nasci, & pari. E conuerso quia Verbum Dei generatur sine ullo motu, & sine vlla successione, ita ab æterno, & semper concipitur, generatur, paritur, & nascitur, ut ab æterno, & semper sit perfectè conceptum, generatum, natum, & partum, & nunquam desinat generari, nasci, concipi, & pari, siquidem generatur generatione æterna, quæ proinde nunquam definit esse. Ideo ut S. Thomas aduertit 4. contra Gentes, cap. 11. Prouerb. 8. Sapientia genita cum de se dixisset: *Ante omnes colles ego parturiebar*, ne quis cogitaret, quod dum parturiebatur, non erat perfectè nata, & perfectè existens, addit: *Quando preparabat Celos, aderam; & paulo post: Cum eo eram cuncta componens*, quia cum parturiebatur, erat perfectè nata, & perfectè operans. Proportionaliter Spiritus Sanctus semper spiratur, & semper est perfectè spiratus. Explicatur exemplo lucis existentis in Sole, quæ quia producit sine motu, & sine successione, semper producit, & semper est perfectè producta, & nunquam desinit produci; & si Sol fuisset ab æterno, & duraret in æternum, lux ab æterno fuisset producta, & in æternum produceretur.

25. Octauo Verbum est propriè Filius, & propriè genitus, Spiritus Sanctus neque est Filius, neque genitus, ideoque in Symbolo Athanasij de Spiritu Sancto dicitur: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Conclusio est de fide. Nam Ioan. 1. de Verbo dicitur: *Vnigenitus, qui*

erat in sinu Patris, ipse enarrauit; Ioan. 4. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Vnigenitum daret*; ideoque in Symbolo Apostolorum confitemur nos credere: *in Iesum Christum Filium eius*, hoc est Dei *unicum*, & in Symbolo Nicæno confitemur nos credere *In Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum*: si autem etiam Spiritus Sanctus esset Filius, vel esset genitus, Christus non esset Filius Dei unicus, nec vnigenitus.

26. Plures Patres, & Scholastici, quos referunt Suarez lib. 11. de Trinitate, cap. 5. & Vasquez disput. 113. cap. 3. asserunt rationem, quare Verbum sit Filius, Spiritus Sanctus non sit Filius, ita excedere captum nostrum, ut neque sit querenda, sed solum sit credenda. Verum quia iidem Patres, & Scholastici, supposita fide, conati sunt aliquam rationem asserere huius mysterij, debemus etiam nos eorum vestigijs insistere. Plurimæ rationes videri possunt apud Vasquez 1. par. disp. 113. cap. 4. 5. & 6. & apud Antonium Perez disp. 3. de Trinit. cap. 1. Nos duas afferemus, quibus acquiescimus.

27. Prima ratio allata à S. Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 14. est, quia Verbum procedit, & exit à Patre, ut natum; Spiritus Sanctus non procedit ut natus, sed ut datus. Explicatur. Licet non omne, quod nascitur, sit Filius, siquidem vermes nascuntur ex nobis, & non sunt nostri Filij, tamen de ratione Filij est, ut nascatur; sed Verbum nascitur, & habet alias conditiones requisitas Filij, Spiritus Sanctus non nascitur, ut ostensum est num. 19. ergo &c.

28. Dices generatio propria Filij definitur à S. Thoma 1. par. quæst. 27. art. 2. *Origo viuientis à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ*; sed processio Spiritus Sancti est talis; ergo.

29. Respondeo vno verbo, quod ly *Origo* sumitur pro eodem, ac nativitas; sed processio Spiritus Sancti non est nativitas; ergo nec propriè est origo.

30. Ut proponam secundam rationem, pticipalem, explicanda est definitio allata, generationis, quæ continet tres particulas. Et quia prima *Origo viuientis à viuente*, est iam explicata, debemus explicare duas alias. Per secundam igitur particulam *principio coniuncto*, explicatur differentia generationis viuientium à generatione non viuientium. Viuentia enim generant, principio coniuncto, hoc est ex aliquo suæ substantiæ, puta ex semine per actionem vitalem deciso. At non viuentia generant ex principio non coniuncto, hoc est non ex aliquo suæ substantiæ, sed ex materia extranea, eo pacto, quo ignis generat ignem ex lignis, vel ex alia materia extranea. Tum Filius, tum Spiritus Sanctus proculdubio procedunt principio coniuncto, cum producantur non de particula substantiæ, sed de tota essentia, & substantia producentis, per actionem vitalem intellectus, & voluntatis illis communicata.

Per

Per tertiam particulam *in similitudinem nature*, significatur, quod procedens debet procedere per actionem assimilatiuam, seu imitatiuam, & expressiuam, & ita, vt accipiat naturam Patris. Et quidem de ratione Filij naturalis non degeneris, neque monstrosi est, vt sit consubstantialis Patri, & eiusdem cum Patre substantiæ, saltem specie: e. gr. Filius equi non degener, neque monstrosus, est consubstantialis equo, & est verus equus: & quia mulus ita est Filius equi, vt non sit equus, nec habeat naturam eiusdem speciei infimæ cum equo generante, est filius degener, & monstrosus; & cum genitum degenerat ita, vt habeat naturam valde dissimilem generanti, amittit nomen Filij, ideoque vermes, qui nascuntur ex homine, vel equo, quia sunt valde dissimiles, non sunt Filij hominis, aut equi.

31. His positis, secunda ratio, propter quæ Verbum est Filius, Spiritus Sanctus non est Filius, est, quia ad Filium requiritur, vt sit viuens procedens à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ, hoc est per actionem assimilatiuam, & imitatiuam, per quam accipiat naturam specie saltem eandem; sed Verbum est viuens procedens à Patre viuente, principio coniuncto, per actionem de linea intellectus, ac proinde assimilatiuam, imitatiuam, & expressiuam, per quam accipit naturam, non solum specie, sed numero eandem cum natura Patris; ergo Verbum est propriissime Filius, & propriissime generatur: Spiritus Sanctus è conuerso non procedit per actionem assimilatiuam, expressiuam, & imitatiuam, sed per actionem inclinatiuam; ergo licet habeat cæteras condiciones, non generatur, nec est Filius.

32. Dices primò: ad Filium requiritur, vt sit Patri similis in natura: sed Verbum non est Patri simile in natura: nam ad similitudinem in natura requiritur identitas specifica, & distinctio numerica naturarum; natura autem Patris, & Verbi non distinguuntur numero; ergo &c.

33. Respondeo, nego maiorem. Vt duo sint similes in albedine ex. gr. requiritur, & sufficit, quod ita distinguantur, vt eorum albedo sit vna specie, vel numero: ex. gr. si Petrus, & Paulus sint albi per eandem numero albedinem replicatam in vtroque, sunt similes in albedine; ergo etiam vt duo sint similes in natura, sufficit, vt ita distinguantur, vt eorum natura sit vna specie, vel numero: sed tres Personæ diuinæ ita distinguuntur, vt earum natura sit vna numero; ergo sunt similes in natura. Confirmatur: nam tres Personæ diuinæ sunt æquales in Natura, Sapientia, Bonitate &c. licet habeant eandem numero Naturam, Sapientiam, Bonitatem; ergo etiam sunt similes in natura, licet habeant eandem numero naturam.

24. Dices secundò: in creatis eo ipso, quod procedens accipit à producente eandem na-

turam, procedit in similitudinem naturæ; ergo etiam in Deo: sed Spiritus Sanctus accipit eandem numero naturam; ergo &c.

35. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia in creatis non datur alia processio substantialis, quam merè naturalis; omnis autem processio merè naturalis est assimilatiua, vt dictum est num. 15. At in Deo dantur duæ processiones substantiales intentionales, altera per intellectum, quæ est assimilatiua, altera per voluntatem, quæ est purè inclinatiua, & non assimilatiua; ergo non est mirum, quod Spiritus Sanctus licet per processionem accipiat naturam producentis, tamen quia procedit per voluntatem, non procedat per processionem assimilatiuam, sed purè inclinatiuam, ideoque non sit Filius.

36. Hinc soluitur argumentum hæreticorum, qui vt referunt Athanasius Epistola 2. de Spiritu Sancto ad Serapionem, & Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Theologia prope initium, impugnabant diuinitatem Spiritus Sancti ab absurdo, & sic arguebant. Si Spiritus Sanctus esset Deus, procederet in similitudinem naturæ, adeoque esset Filius; vel ergo procederet à solo Patre, & Pater haberet duos Filios, ac proinde Verbum, ac Spiritus Sanctus essent fratres: vel procederet à solo Filio, & sic esset Filius filij, ac nepos Patris; vel procederet à Patre, & Filio, & cum non posset habere duos Patres, alter esset Pater, alter Mater, quæ sunt absurda. Responderetur vnicuique verbo Spiritum Sanctum ita procedere, vt Deum, vt non sit Filius, adeoque argumentum fundatur in falso supposito.

37. Infertur primò secundam Personam, eo esse Filium, quo Verbum, iuxta illud Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 2. *Eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*. Ratio est, quia secunda Persona est Verbum, in quantum procedit per intellectum, ac proinde per actionem assimilatiuam; sed eo ipso, quod procedit per actionem assimilatiuam, & vt consubstantialis Patri, est Filius naturalis Dei Patris; ergo &c. Spiritus Sanctus è conuerso eo ipso, quod non procedit vt Verbum, non procedit per actionem assimilatiuam, adeoque non est Filius.

38. Infertur secundò, quod secunda Persona eo est Filius, quo imago. Nam in tantum est imago, in quantum procedit per actionem imitatiuam exemplaris; sed eo ipso, quod procedit per actionem imitatiuam exemplaris, & vt consubstantialis exemplari, est Filius; ergo &c. Et quidem plures Patres, quos refert Vasquez disput. 113. cap. 7. rationem, quare secunda Persona sit Filius, tertia non sit Filius, desumpserunt ex eo, quod secunda Persona est imago Patris, tertia non est imago Patris. Athanasius in Epistola de Decretis Synodi Nicænæ de Filio loquens dicit: *Si enim imaginem nomines, Filium hoc ipso esse iudicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Nazian.

Nazianzenus orat. 4. de Theol. Brevis, & compendiosa, facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius. Omne enim, quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit. Anselmus in Monologio cap. 33. Sicut Verbum mox ut consideratur, se prolem esse eius, à quo procedit, evidenter probat, promptam præferendo Patris imaginem, sic amor apertè se prolem negat. Eandem rationem attulit S. Thomas 4. contra gentes, cap. 11. dicens. Non enim sic esse imaginem alicuius, ut eiusdem naturæ cum illo sit, in aliquo inveniatur, qui filius dici non potest.

39. Inferitur tertio, quod Verbum Dei non solum est imago Patris, sed etiam est imago, quæ non potest excogitari perfectior, & similior exemplari; & proportionaliter non solum est Filius, sed est Filius, quo non potest excogitari perfectior, & similior Patri. Ratio est, quia non potest excogitari imago perfectior, & similior, quam quæ convenit cum exemplari in omnibus, exceptis ijs, in quibus exemplar, & imago debent relativè opponi; sed exemplar, & imago debent relativè opponi in hoc, quod exemplar est, ad cuius imitationem procedit imago, imago verò est, quæ procedit ad imitationem exemplaris; ergo non potest excogitari imago perfectior, & exemplari similior, quam quæ convenit cum exemplari in omnibus, exceptis his; sed Verbum, & Pater conveniunt in omnibus, excepto hoc, quod Pater, est ad cuius imitationem Verbum procedit, Verbum est, quod procedit ad imitationem Patris; ergo &c. Rursus non potest excogitari Filius similior Patri, quam qui convenit cum Patre in omnibus, excepto hoc, quod est esse Patrem, & esse Filium, in quibus Pater, & Filius ex sua ratione debent opponi; sed Verbum, & Pater conveniunt in omnibus, excepto hoc, quod est esse Patrem, & esse Filium; ergo &c.

40. Inferitur quarto contra Arrianos, quod ad hoc, ut secunda Persona sit Filius naturalis Dei, requiritur, ut sit verus Deus æqualis, & consubstantialis Patri. Primo enim de ratione Filij naturalis non degeneris, neque monstrosi est, quod sit consubstantialis Patri, & eiusdem cum Patre essentia, saltem speciei: ex gr. Filius equi non deneger, neque monstrosus est consubstantialis equo, & est verus equus; & quia mulus ita est Filius equi, ut non sit equus, est Filius deneger, & monstrosus; sed ut constat ex Scripturis, Verbum est Filius naturalis Dei; ergo est consubstantialis, ac verus Deus, & si non esset verus Deus, esset infinite degener, & infinite monstrosus, ac Deus Pater generaret monstrum, ut contra. Arrianos arguit Augustinus Serm. 51. de Verbis Domini, ubi dicit. Audite quanta blasphemiam sit dicere unicum Dei Filium esse alterius substantia. Propterea si ita est, degener est. Ostendit deinde hanc blasphemiam non solum esse contumeliosam Filio, sed etiam Patri, & inducit Patrem irascentem, ac contra Arrianos dicentem. Ergo ego Filium degenerem generavi? er-

go si aliud sum, aliud generavi, monstrum generavi? Secundo de ratione Filij est, ut possit pervenire ad æqualitatem Patris, alioquin esset essentialiter degener; sed Verbum non est Filius degener; ergo potest pervenire ad æqualitatem Patris; sed cum sit incapax mutationis, non potest de nouo acquirere hanc æqualitatem; ergo ab æterno est æqualis Patri; alioquin esset essentialiter degener, ut loco citato arguit Augustinus.

41. Pro complemento quæstionis, superest, ut breviter afferamus alias rationes Patrum, & Scholasticorum, propter quas Spiritus Sanctus non est Filius.

42. Prima ratio Basilij lib. 5. contra Eunomium cap. 12. est. Spiritus Sanctus non est Filius, ne detur Filius Filij & sic oriatur suspicio, quod sint infiniti, vel saltem innumera- biles Filij. Potest explicari. Cum enim per primam processionem generetur Filius perfectus in ratione Filij, per secundam non debet produci Filius, sed Persona, quæ Filius non sit; alioquin deberent produci infiniti Filij.

43. Secunda ratio Nazianzeni lib. 5. de Theol. est. Non eo ipso, quod unum procedat ab alio, & accipit eandem, vel similem naturam, est Filius, ut patet exemplo Eux, quæ ita processit ab Adamo, ut acceperit eandem naturam in specie, & tamen non fuit Filia Adami; ergo licet Spiritus Sanctus procedat, & accipiat eandem naturam, non sequitur, quod sit Filius.

44. Tertia ratio similis affertur à Bernardo Epistola 190. ex eo, quia non omne, quod de aliqua substantia est, continuo ipsum, à quo est, habet generatorem, ut patet exemplo vermium.

45. Quarta ratio S. Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 20. est. De ratione Filij est, ut vel procedat ab unico parente, eo pacto, quo quædam animalia, in quibus non distinguitur sexus, procedunt ab unico parente; vel si procedit à duobus, non uterque sit pater, & principium purè actuum, sed alter sit pater concurrens actiue, altera sit mater concurrens etiam passivè, & præbens materiam genito; sed Verbum procedit ab vno tantum, Spiritus Sanctus à duobus, quorum uterque est principium purè actuum, adeoque si esset filius, uterque deberet esse pater, quod repugnat; ergo &c.

46. Quinta ratio est Riccardi de Sancto Victore lib. 6. de Trinit. cap. 18. 19. & 20. quam ex Scholasticis affert etiam Alensis, & Maior: de ratione Filij est, ut sit imago, & figura Patris, etiam in hoc, ut possit naturam alteri communicare; sed Verbum in hoc est simile Patri, cum possit naturam communicare alteri Personæ, hoc est Spiritui Sancto, Spiritus Sanctus è conuerso; ergo &c.

47. Sexta ratio S. Bonaventuræ in 1. dist. 13. quæst. 2. ad primum, & Riccardi eadem dist. 13. art. 1. quæst. 3. est: de ratione Filij est,

vt procedat modo naturali, non autem modo voluntatis; sed Verbum, cum procedat per intellectum, procedit modo naturali, Spiritus Sanctus cum procedat per voluntatem, procedit modo voluntatis; ergo &c. Addit Durandus in 1. dist. 4. quæst. 1. illud, quod procedit ab vno tantum per se sufficiente, procedere modo naturæ; illud, quod procedit à pluribus, quorum vnumquodque per se esset sufficiens procedere modo voluntatis, quia proprium voluntatis est attemperare concursum; sed Verbum procedit ab vno sufficiente, Spiritus Sanctus à duobus, hoc est à Patre, & Filio; ergo &c.

48. Septima ratio Scoti est, processionem Filij, & Spiritus Sanctus primo differre se ipsis per hoc, quod altera sit generatio, altera non sit generatio, adeoque non esse quærendam aliam rationem.

49. Octaua ratio Caietani 1. parte quæstione 27. artic. 4. & Ferrariensis 4. contra Gentes, cap. 11. est. Verbum est Filius, quia ex vi processionis accipit naturam diuinam, adeoque procedit in similitudinem naturæ; Spiritus Sanctus non est Filius, quia licet accipiat naturam diuinam, non accipit illam ex vi processionis, sed quasi concomitanter. Explicatur. Intellectio, & amor virtualiter in Deo distinguuntur: & quia intellectio est primum prædicatum amor est secundum prædicatum supponens intellectionem, (nihil enim volitum, quin præcognitum), natura autem consistere debet in primo prædicato, ideò intellectio est formaliter natura Dei, amor non est formaliter natura, sed est proprietas consequens naturam; sed Verbum cum procedat per intellectum, ex vi processionis habet intellectionem, adeoque habet naturam, amorem autem accipit concomitanter, quia est realiter idem cum intellectione: Spiritus Sanctus cum procedat per voluntatem, ex vi processionis accipit esse amorem, adeoque non accipit naturam, sed proprietatem, intellectionem autem, seu naturam accipit concomitanter; ergo &c.

50. Omnes istæ rationes, excepta vltima, afferunt aliquod verum discrimen inter Verbum, & Spiritum Sanctum, adeoque possunt trahi in bonum sensum. At vltima cum supponat distinctionem virtuales intrinsecas inter intellectionem, & amorem essentialem, quam reieciimus supra quæst. 22. fundatur in falso. Adde difficile esse, quod Spiritus Sanctus ex vi processionis non accipiat per se naturam diuinam, sed illam accipiat quasi concomitanter, & per accidens. Deus enim, cum producat Spiritum Sanctum ex amore, per se illi communicat summum bonum, hoc est ipsam Deitatem. Videri possunt Vasquez 1. parte disp. 113. cap. 3. 4. 5. & 6. & P. Antonius Perez disp. 3. de Trinit. cap. 1.

51. Ad 1. distinguo maiorem: generatio communis, prout opponitur corruptioni, definitur *mutatio ex non subiecto in subiectum*, con-

cedo; generatio propria viuientium, nego maiorem: & distinguo consequens; ergo Filius non generatur generatione communi, concedo; generatione propria viuientium, nego consequentiam. Generatio communis est species mutationis. Nam mutatio ab Aristotele 5. physic. text. 7. diuiditur in generationem, quæ est *mutatio à non subiecto in subiectum*; corruptionem, quæ est *mutatio à subiecto in non subiectum*; & motum, qui est *mutatio à subiecto in subiectum*. Hæc generatio procudubio non conuenit Filio Dei, qui est omnino immutabilis, sicut Pater. At præter generationem communem datur generatio propria viuientium, quæ abstrahit à mutatione: & hæc conuenit Filio Dei, vt ostensum est. Videri potest S. Thomas 1. parte quæst. 27. art. 2. in corpore.

52. Ad 2. Iam allata est ratio, quare Spiritus Sanctus non sit Filius, & non generetur.

53. Ad 3. Ostensum est num. 13. ad imaginem non sufficere, quod vtunque procedat vt similis, sed requiri, vt procedat per actionem assimilatiuam; sed Spiritus Sanctus licet procedat vt similis producenti, non procedit per actionem assimilatiuam; ergo non est propriè imago.

QVAESTIO XCIX.

Vtrum in Deo detur vna essentia, tres Personæ, & tres proprietates personales, quatuor relationes, & quinque notiones.

S. Th. q. 28. 29.

1. **P**rimò videtur, quod cum loquimur de Deo, non debeamus vti nominibus essentiae, hypostasis, substantiae, Personæ, proprietatis, relationis, & notionis; tum quia hæc nomina non inueniuntur in Scripturis; tum quia sunt exotica, & parum apta ad explicanda mysteria fidei.

2. Secundò Persona, vt docet Laurentius Valla l. 6. Elegantiarum, cap. 34. significat non substantiam, sed qualitatem, ideoque dicimus aliquem gerere personam Regis; sed in Deo nullæ dantur qualitates, sed sola substantia; ergo non dantur Personæ.

3. Tertiò Persona definitur à Boetio lib. de duabus naturis, *rationalis naturæ indiuidua substantia*, adeoque nihil aliud est, quam indiuiduum naturæ rationalis; sed hic numero Deus est indiuiduum naturæ diuinæ; ergo hic numero Deus est formaliter Persona; sed tres Personæ sunt hic numero Deus; ergo sunt vna numero Persona diuina.

4. Quartò sicut Pater, qui generat, est prima Persona, & Filius, qui generatur, est secunda Persona, sic, Spirator, qui spirat, est tertia Persona, & Spiritus Sanctus, qui spiratur,

tur, est quarta Persona, adeoque Personæ sunt quatuor.

5. Quinto relationes videntur esse plures, quam quatuor. Nam tres Personæ sunt æquales, similes, & coexistentes; sed non nisi per relationem realem æqualitatis &c. ergo &c.

6. Sexto videtur, quod notiones non sint solum quinque, quatuor nimirum relationes, & innateibilitas propria Patris. Nam sicut innateibilitas ponitur ut notio Patris, sic inspirabilitas debet poni ut notio filij; ergo notiones sunt sex.

7. Respondeo, quod ex Aristotele 5. Metaphys. in fine, substantia dicitur dupliciter. Primo substantia dicitur *ipsum ultimum subiectum*, hoc est individuum, quod non dicitur de alio, & quod cum quodquid sit, etiam separabile fuerit. In hoc sensu substantiæ sunt Petrus, Bucephalus, & omnia individua habentia naturam substantialem completam. Secundo substantia dicitur *forma*, & *species*, hoc est natura substantialiter completa constituens individuum in sua specie: e.g. humanitas singularium, quia per humanitatem constituuntur in specie hominis. Substantia primo modo dicta ab Aristotele in prædicamentis vocatur prima substantia; à Porphyrio dicitur individuum; à Patribus, Theologis, ac Philosophis latinis vocatur suppositum, & substantia; à Patribus Græcis vocatur Hypostasis. Substantia secundo modo dicta à Patribus Græcis vocatur *usia*, & *physis*, à Latinis vocatur *essentia*, & *natura*. Aduertunt autem communiter Sancti Patres Græci, nimirum Basilius Epistola 43. Gregorius Nissenus in libro de differentia essentiae, & hypostasis, Damascenus lib. 3. de fide, cap. 3. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de Trinitate, Iustinus de recta fidei confessione, & Theodoretus in lib. contra Sabellium, quod *usia*, siue *essentia* differt ab *Hypostasi*, sicut vniuersale à singulari, & sicut commune à proprio, puta sicut homo, & humanitas à Petro, ita ut hypostasis dicat aliquod proprium vnius tantum, quod non possit esse commune pluribus; essentia ex se non dicat aliquid proprium.

8. Hoc posito, dicendum primo: in Deo substantia simpliciter, & secundo modo dicta siue *essentia*, & *natura*, est vna tantum, non solum specie, sed numero, ac non potest simpliciter dici, quod in Deo sint plures substantiæ, siue *essentia*, & *natura*.

9. Probatur: nam sicut *essentia*, & *natura* hominis est *humanitas*, per quam constituitur homo, sic *essentia*, & *natura* Dei est *deitas*, per quam constituitur Deus; sed *deitas* est non solum vna specie, sed numero, ut ostensum est quæst. 19. ergo &c. Licet verò nomen *usia*, & substantia ex prima impositione sit indifferens ad significandam substantiam tum primo, tum secundo modo dictam, tamen de facto ex usu Patrum contractum est

ad significandam solam substantiam secundo modo dictam, ideoque cum loquimur de Deo, dici debet, quod substantia est vna tantum, quia est vna solum natura. Iam ut dicit Epiph. Hæres. 73. *Diuinæ essentiae nomen nudo modo in veteri, & nouo testamento non habetur, sensus autem ubique habetur*. Nam ad Romanos 1. dicitur: *Sempiterna virtus eius, & diuinitas*: Ad Philipenses 1. *cum in forma Dei esset*; 2. Petri 1. *diuinæ consortes naturæ*; sed nomine *essentiae* significamus diuinitatem, seu deitatem, formam Dei, ac diuinam naturam; ergo &c. Ideo hoc nomine passim vtuntur Patres.

10. Dicendum secundo: in Deo dantur tria supposita, & tres Hypostases, seu substantiæ. Probatur: nam ut colligitur ex Boetio lib. de duabus naturis, suppositum, siue Hypostasis est *natura completa individua substantia*: & quia substantia est *ens per se subsistens*, ita ut non sit in alio, tanquam in subiecto, vel in toto digniori, ut docet S. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 2. ad 3. individuum ex Porphyrio cap. 3. est quod de uno tantum prædicatur, & ex Sancto Thoma, quod est *indistinctum in se*, & à quolibet alio *distinctum*, coniungendo hæc omnia, suppositum, siue hypostasis describi potest: *Ens primum per se subsistens, ita ut non sit in alio, tanquam in subiecto, vel in toto digniori, habens naturam completam, non prædicabile de pluribus, indistinctum in se, seu per se vnum, & aliqua proprietate distinctum à quolibet alio subsistente, etiam eiusdem naturæ*: sed in Deo dantur tres per se subsistentes &c. nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ergo &c. Nomen hypostaseos ad significandum suppositum diuinum habetur ad Hebræos 1. siquidem de Filio Dei dicitur, *cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, Græcè hypostaseos. Licet autem aliqui nomine hypostaseos intellexerint *essentiam*, ut videtur exponere Epiph. hæresi 69. tamen ut docet Bellarminus l. 2. de Christo cap. 4. rectius alij interpretantur Personam paternam, ut Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumen. in commentario eius loci, nec non Basilius Epistola 43. & Gregorius Nissenus lib. de differentia essentiae, & hypostasis. Quia tamen nomen hypostaseos potest etiam trahi ad significandam *essentiam*, ideo multis præsertim latinis suspecta fuit loquutio, qua dicebantur in Deo dari tres Hypostases, quasi ponerentur tres *essentia*, ut patet ex Hieronymo in duabus Epistolis ad Damasum de Hypostasibus, & ex Nazianzeno Oratione de laudibus Athanasij. Verum ille modus loquendi usurpatus à pluribus Patribus Græcis, deinde vsu totius Ecclesiæ fuit receptus, atque ut refert Nazianzenus citata oratione prope finem, Athanasius ostendit idem significare Græcos, cum dicunt in Deo dari tres hypostases, ac Latini, cum dicunt dari tres Personas.

11. Dicendum tertio: dantur in Deo tres Personæ. Probatur: nam Persona nihil aliud est, quam suppositum habens naturam ratio-

nalem completa in, ideoque definitur à Boetio lib. de duabus naturis: *Rationalis natura indiuidua substantia*. Quia enim in Tragædijs qui representabant homines in dignitate constitutos vocabantur Personæ, & est magna dignitas suppositi, vt habeat naturam rationalem, ideo nomen Personæ translatus est ad significanda supposita naturæ rationalis, ad exprimendam eorum dignitatem, vt docet S. Thomas 1. parte quæst. 39. art. 3. ad 2. Sed tria supposita diuina habent hanc summam dignitatem, vt subsistant in natura diuina, quæ est maximè rationalis; ergo &c. Quia licet nomen Personæ diuinæ non inueniatur in Scripturis, tamen inuenitur sensus, ideo Patres vsi sunt hoc nomine, eo quod deinde sequuta est tota Ecclesia, etiam in Concilijs generalibus.

12. Dicendum quartò: in Deo dantur tres suppositalitates, ac tres proprietates Hypostaticæ, seu Personales, Paternitas nimirum, Filiatio, & Spiratio passiuæ. Probatur: nam suppositalitates, personalitates, ac proprietates personales sunt, per quas supposita, & Personæ alicuius naturæ constituuntur, ac distinguuntur ab omnibus alijs suppositis, ac Personis, etiam eiusdem naturæ; sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus constituuntur, & inter se distinguuntur per paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam; ergo &c.

13. Dicendum quintò: dantur in Deo quatuor origines, & quatuor relationes reales. Probatur: nam non potest dari generans, & genitum, spirans, & spiratum, quin detur generatio actiua, qua generans generat, & generatio passiuæ, qua genitum generatur; spiratio actiua, qua spirans spirat, & spiratio passiuæ, qua spiratum spiratur. Rursus in actione, & passione fundantur relationes reales, & idcirco vnum genus relationum realium ab Aristotele assignatur earum, quæ fundantur in actione, & passione; ergo Pater generans Filium refertur ad illum per relationem realem paternitatis; Filius genitus refertur ad Patrem per relationem filiationis; Pater, & Filius referuntur ad Spiritum Sanctum per relationem spiratoris; Spiritus Sanctus refertur ad Patrem, & Filium per relationem spirati. Ex his quatuor relationibus paternitas, filiatio, & spiratio passiuæ distinguuntur realiter ad inuicem; spiratio actiua distinguitur realiter à sola spiratione passiuæ opposita, sed realiter identificatur cum filiatione, & paternitate, ideoque relationes realiter distinctæ sunt solum tres. Rursus ex his quatuor relationibus tres sunt propriæ vnus tantum Personæ, quarta, hoc est spiratio actiua est communis duarum. Idem dic de originibus.

14. Dicendum sextò: dantur in Deo quinque notiones. Probatur: nam notiones sunt rationes obiectiue, per quas Personæ cognoscuntur vt inter se distinctæ; sed Personæ sicut distinguuntur per oppositas relationes, ita co-

gnoscuntur vt inter se distinctæ per oppositas relationes, quæ sunt quatuor; ergo quatuor relationes sunt notiones. Ex his notionibus paternitas, filiatio, & spiratio passiuæ sunt notiones propriæ singularum Personarum; spiratio actiua est notio communis duarum Personarum, hoc est Patris, & Filij.

15. Iam quia Pater cognoscitur vt distinctus ab alijs Personis non solum per notionem affirmatiuam Patris, sed etiam per notionem negatiuam ingeniiti, & innascibilis, seu per hoc, quod sit Persona non procedens ab alijs; hæc autem notio est valde obuia, & ex nostro modo concipiendi importat magnam dignitatem; siquidem ex ea oritur, vt Pater concipiatur tanquam prima Persona, & primus fons, & origo aliarum Personarum; ideo ponitur etiam quinta notio ingeniiti, siue innascibilis. Patri igitur conueniunt tres notiones, duæ propriæ, nimirum paternitas, & innascibilitas, tertia communis Filio, hoc est spiratio actiua. Filio conueniunt duæ notiones, nimirum filiatio propria, & spiratio actiua communis Patri. Spiritui Sancto conuenit vna solum notio, nimirum spiratio passiuæ. Quinam Patres vsi sint nominibus proprietatis, relationis, & originis, ac notionis, licet in Scripturis non inueniantur, videri potest apud Bellarminum l. 2. de Christo cap. 5.

16. Ad 1. Licet aliqua ex dictis nominibus non inueniantur in Scriptura quoad vocem, tamen inueniantur quoad sensum, & quoad nomina æquiualentia. Si autem cum de Deo loquimur, deberemus vt solum nominibus, quæ inueniuntur in Scripturis quoad ipsas voces, sequeretur, quod de Deo non possemus loqui, nisi in ea lingua, in qua Scripturæ primo sunt traditæ, vt arguit S. Thomas quæstione 29. art. 3. ad 1. Quod talia nomina sint exotica, & non vsitata, est falsum, siquidem vt docet Bellarminus l. 2. de Christo, cap. 4. plurimis sæculis fuerunt in vsu Patrum, & totius Ecclesiæ. Falsum etiam est, quod sint obscura, & inepta ad explicanda mysteria fidei, vt patuit in Corpore.

17. Ad 2. Licet nomen Personæ aliquando significet qualitatem, & accidens, tamen vt ostendit Bellarminus l. 2. de Christo cap. 5. sæpè etiam apud Authores profanos, significat substantias indiuiduas naturæ rationalis. Tullius enim de inuentione, & de Partitionibus oratorij sæpè dicit alia esse rerum, alia Personarum attributa, adeoque nomine Personarum intelligit indiuidua naturæ humanæ. In eodem sensu loquuntur plures alij auctores latini, ideoque Laurentius Valla dicens non posse significare substantiam, malè gessit Personam etiam Grammatici: dum addidit in Deo significare qualitatem, malè gessit Personam Theologi, siquidem in Deo nulla datur qualitas: si nomine qualitatis intellexit attributa Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, quæ concipiuntur vt qualitates, cum hæc attributa

ta distinguantur sola ratione, sequitur, quod in Deo Personæ distinguantur non realiter, sed ratione, adeoque egregiè gessit Personam Hæretici Sabelliani.

18. Ad 3. & 4. Deitas licet sit individua, hoc est hæc numero, tamen formaliter secundum se præcisè non est individuum, hoc est suppositum; siquidem de ratione suppositi, seu Personæ est, ut non sit communis, & prædicabilis de pluribus; Deitas autem, & *hic Deus*, est communis, & vniuersalis constitutiue, ac prædicabilis de tribus Personis. Ex eadem ratione inspiratio actiua, & hic numero Spirator non est formaliter suppositum, & Persona, quia prædicatur de duabus Personis, de Patre nimirum, & Filio.

19. Ad 5. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico cum S. Thoma 1. parte q. 42. art. 1. ad 4. Caietano in Comment. ac Vasquez disp. 166. cap. 3. contra Scotum, & alios, quod Personæ diuinæ sunt æquales, ac similes per relationem non realem, sed rationis. Secundò dici potest, quod si relationes æqualitatis, coexistentiæ, & similitudinis sunt reales, sunt indistinctæ à relationibus paternitatis, filiationis &c. ac proinde semper stat, quod in Deo dentur solum quatuor relationes. Sed vix de hoc potest fieri alia quæstio, quam de nomine.

20. Ad 6. Ad notionem requiritur, ut sit prædicatum distinctiuum Personarum, & ex modo significandi importans dignitatem: siquidem Persona est nomen significans dignitatem; sed hoc, quod est *Patrem esse Personam Diuinam à nullo procedentem* est prædicatum ex modo significandi importans magnam dignitatem; at hoc quod est *Filium esse Personam non spiratam*, hoc est non procedentem per amorem, non importat dignitatem; ergo &c.

QVÆSTIO C.

Virum essentia diuina distinguatur à relationibus distinctione sufficiente ad verificanda prædicata contradictoria?

S. Th. qu. 28. art. 2.

1. Videtur, quod non, primò, quia Pater c. gr. constaret ex diuinitate, & paternitate aliquo modo distinctis obiectiue, adeoque non esset omnino simplex obiectiue.

2. Secundò eatenus talis distinctio esset necessaria, quatenus de essentia, & relationibus verificarentur prædicata contradictoria, patet quod essentia communicetur Filio, & cum Filio identificetur, paternitas non communicetur, & non identificetur cum Filio; sed hæc, & alia, quæ afferuntur, verè non sunt contradictoria; ergo &c. Probatur mi-

nor: communicari, & identificari vno genere communicationis, & identitatis, non communicari, & non identificari alio genere communicationis, & identitatis, non sunt prædicata contradictoria, cum non sint affirmatio, & negatio eiusdem; sed tum essentia, tum paternitas communicatur, & identificatur cum Filio communicatione, & identificatione reali, qua Pater, & Filius sunt idem Deus: neque essentia, neque Paternitas communicatur Filio, & identificatur alia communicatione, & identificatione chimerica, qua Pater, & Filius sint eadem Persona; ergo de essentia, & relatione non verificantur vlla prædicata contradictoria.

3. Tertiò est primum principium, quod prædicata contradictoria verificari non possunt de eodem realiter; ergo si de essentia, & relationibus verificantur contradictoria, essentia distinguitur realiter à relationibus, quod est hæreticum.

4. Quartò oppositio contradictoria est prima, & maxima oppositionum, & maior etiam oppositione relatiua, ut colligitur ex Aristotele 10. Metaph. text. 15. & sequent. sed oppositio relatiua etiam in diuinis dari non potest sine distinctione reali; ergo neque oppositio contradictoria dari potest sine distinctione reali: ergo si essentia communicatur, paternitas non communicatur, adeoque de ipsis verificantur prædicata contradictoria, essentia, & relatio realiter distinguuntur.

5. Quintò ista duo principia, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; quæ sunt eadem inter se, distinguuntur ab eodem tertio, sunt naturaliter euidentia, & per primum regulantur syllogismi præsertim expositoriij affirmatiui, per secundum regulantur negatiui; sed vtrumque falsificatur, non admissa distinctione reali inter essentiam, & relationes; ergo &c. Probatur minor: nam Pater, & Filius identificantur realiter eidem numero tertio, hoc est eidem numero essentia, & tamen non identificantur realiter inter se, ideoque falsificatur hic syllogismus expositorius ex terminis singularibus: *Hæc essentia est hic Pater; Filius est hæc essentia; ergo Filius est hic Pater*: Nam præmissæ sunt veræ, & conclusio est falsa. Rursus Pater, & essentia sunt idem realiter inter se, & tamen non distinguuntur realiter ad eodem tertio, hoc est à Filio, ideoque falsificatur hic syllogismus negatiuus: *hic Pater non est hic Filius; hæc essentia est hic Pater; ergo hæc essentia non est hic Filius*.

6. Sextò est principium naturaliter euidentius, quod prædicata contradictoria non possunt verificari de eodem omnino; sed nulla distinctio non realis inter essentiam, & relationes sufficit ad hoc, ut prædicata contradictoria non verificentur de eodem omnino; ergo nulla distinctio non realis inter essentiam, & relationem sufficit ad saluandum, quod non falsificatur principium naturaliter euidentissimum. Probatur minor: nam de diuina essen-

tia

tia affirmatur, quod sit paternitas, & negatur quod generet Filium, & quod distinguat Patrem à Filio; sed idem omnino est paternitas, & generare Filium, & distinguere Patrem à Filio; ergo idem omnino de diuina essentia, verè affirmatur, & negatur, & sic falsificatur principium de contradictorijs.

7. Septimò demum deberet afferri ratio, quare possibile sit, vt in Deo tres Personæ sint vna numero essentia, in creatis sit impossibile.

8. Respondeo arcanum Trinitatis mysterium consistere in hoc, vt Personæ ita realiter distinguantur, vt sint vnus Deus, imò vna Deitas, non solum specie, sed etiam numero. Hoc quia intelligere non potuerunt hæretici, abierunt in varios errores.

9. Primus error fuit Sabellij: secundus Arrij, de quibus actum est quasi. 83. Vterque conuincitur illis Verbis Christi Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*. Vt enim dicit Augustinus tractatu 36. in 10: *Quod dicit vnum, liberat te ab Arrio; quod dicit sumus, liberat te à Sabellio*.

10. Tertius error fuit Tritheitarum, qui vt refert Niceph. lib. 13. cap. 46. & 48. auctore Ioanne Philopono docuerunt tres Personas esse tres Deos cum tribus essentijs omnino similibus, & æqualibus. Hic error repugnat non solum fidei, sed etiam rationi purè naturali, quæ ostendit non posse dari plures deitates, siue essentias diuinas, vt dictum est quasi. 19.

11. Quartus error fuit Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis, qui docuit relationes, ac Personalitates realiter distingui ab essentia diuina, ac non esse intrà essentiam, sed quasi affixas, & assistentes essentia, vt refert S. Thomas I. parte quæst. 38. art. 3. in corpore, adeoque loco Trinitatis posuit in Deo quaternitatem, hoc est quatuor res realiter contradistinctas inter se. Hic error damnatus fuit ab Eugenio III. in Concilio Rhemensi, ac Gilbertus à Sancto Bernardo conuictus suum errorem retractauit, vt refert idem Bernardus serm. 80. in Cant. Potest hic error conuinci etiam ratione naturali. Nam vt arguit Bernardus serm. 30. in Cant. & lib. 5. de Consideratione, cum vnus tantum sit Deus, hoc est essentia diuina, quicquid non est essentia diuina, non est Deus, adeoque est creatura; ergo Persona diuina cum includat essentiam, & relationem, si relatio non est essentia, ac proinde est creatura, Persona diuina componitur ex Deo, & creatura, quod est absurdum.

12. Quintus error fuit Abbatis Ioachimi, qui vt refertur cap. firmiter, & cap. damnamus, & vt explicat S. Thomas Opusc. 23. & 24. in quibus commentatur illa capita, licet concesserit tres Personas esse vnā essentiam, & naturam diuinā, tamen docuit illam vnā essentiam non esse simplicem, sed collectiue tantum vnā, adeoque asseruit essentiam vnus Personæ aliquo pacto distingui ab essentia alterius, & sic videretur incidisse in errorem

Arrianorum, vel Tritheitarum. Contrā hunc errorem Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi in Regula fidei relata cap. firmiter dixit: *Tres quidem Personæ, sed vna essentia, substantia, & natura, simplex omnino*. Et infra cap. Damnamus: *licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino*.

13. Catholici diuisi sunt in duas classes. In prima sunt qui cum Greg. Arim. in 1. dist. 33. & 34. dixerunt nulla prædicata contradictoria verificari à parte rei de essentia, ac de relationibus, ac proinde non dari vllam distinctionem obiectiuā inter essentiam, & relationes. In secunda classe sunt, qui concedunt verificari aliqua prædicata contradictoria de diuina essentia, ac de relationibus, & consequenter dicunt essentiam, & relationes distingui aliqua distinctione obiectiuā. Auctores secunda classis non conueniunt in explicando, qualis sit hæc distinctio, & quo nomine sit vocanda. Durandus docuit illam esse distinctionem aliquo modo realem, qualis datur inter rem, & modum, Scotistæ cum Scotto dicunt non esse realem, sed actualem ante omnem operationem intellectus, eamque vocant formalem ex natura rei. Multi Thomistæ cum pluribus alijs negant illam esse actualem, ac dicunt esse solum virtualem, seu potentialem, ac fieri actualem per operationem intellectus obiectiue præscindens essentiam, à relationibus. Alij vocant illam distinctionem virtutalem intrinsecam; alij distinctionem rationis obiectiue, seu rationis, eamque cum fundamento in re: alij vocant eminentialem.

14. Dicendum primò: essentia, & relationes realiter identificantur sine vlla distinctione reali. Probatur: nam illa sunt realiter idem, quorum vnum est aliud, ideoque debent affirmari mutuo: illa realiter distinguuntur, quorum vnum non est aliud, ideoque debent negari; sed relationes sunt essentia, debentque mutuo affirmari, ac non debent negari, vt est de fide, & definitum in Concilio Rhemensi contra Gilbertum Porretanum; ergo &c.

15. Dicendum secundò: relationes, & essentia identificantur identitate reali perfectissima, & qua non potest excogitari perfectior. Probatur: nam non potest excogitari identitas perfectior illas per quam essentia ita sit perfectè idem cum relationibus, sicut cum seipsa; sed essentia est ita perfectè idem cum relationibus, ac cum seipsa; ergo &c. Probatur minor: essentia est idem cum relationibus identitate, qua reddit illas æquè perfectas, ac ipsa essentia sit perfectè per se ipsam; ergo essentia identificatur cum relationibus ita perfectè, sicut cum se ipsa. Hæc identitas, qua non potest excogitari perfectior, vocari potest summa metaphysicè.

16. Dices: Pater æternus est æquè bonus Filio

Filio, sicut sibi; ergo est idem cum Filio, non minus, quam essentia cum relationibus.

Respondeo, negando consequentiam. Ad identitatem non sufficit, ut vnum sit bonum alteri, sicut sibi ipsi, sed ulterius requiritur, ut vnum sit de altero affirmabile, ac non sit negabile; sed Pater propter oppositionem originis, ac relationis non est affirmabilis, sed negabilis de Filio, dicendo, *Pater non est Filius*; ergo &c.

17. Dicendum tertio: essentia, & relationes sunt idem non omnino, siue sunt idem, identitate non summa logicè, per quam debeant conuenire in omnibus prædicatis. Probatur: ut enim contra Abbatem Ioachim docet Concilium Lateranense loco citato, *tres persone sunt una essentia, substantia, & natura simplex omnino*; sed si essentia diuina esset omnino idem cum relationibus, & Personis, essentia Patris, & Filij ita esset eadem aliqua identitate vera, ut etiam aliqua reali distinctione essentia Patris distingueretur ab essentia Filij, adeoque non esset vna essentia simplex omnino, sed esset vna quasi collectiue; ergo &c. Probatur minor: Pater enim aliqua distinctione reali, hoc est personali distinguitur à Filio: sed dum dico *Pater* ex parte obiecti venit etiam essentia, quæ est omnino idem cum Patre: nam quæ sunt omnino idem non possunt præscindi obiectiue; cum dico *Filius* ex eadem ratione venit obiectiue essentia Filij; ergo sicut de Patre, & Filio affirmo distinctionem realem, sic de essentia Patris, & de essentia Filij affirmo distinctionem realem, adeoque essentia Patris aliqua distinctione obiectiua distinguitur ab essentia Filij.

18. Dices primo: sensus huius propositionis, *Pater distinguitur à Filio*, est: *Pater distinguitur à Filio distinctione faciente, ut sint due persone distincte, sed una essentia omnino indistincta*.

19. Sed contra, quia dum dicis *due persone*, si essentia est omnino idem cum Persona, venit ex parte obiecti etiam essentia, cum non possit obiectiue præscindi, adeoque dum dicis *Pater*, & *Filius* distinguuntur distinctione faciente ut sint due persone, & una essentia, idem est, ac si dicas, *Pater*, & *Filius* distinguuntur distinctione faciente, ut sint due essentie, & una essentia, & sic essentia Patris, & Filij ita est vna essentia, ut sint etiam realiter due essentie.

20. Dices secundo: sufficit, ut saluetur, quod *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus* sint tres persone, & vnus Deus: hoc autè saluatur.

21. Sed contra, quia ut explicauit Concilium Lateranense, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus* ita sunt vnus Deus, ut sint vna essentia simplex omnino, ita ut essentia Petris, & essentia Filij nulla distinctione reali, immò ut ego censeo, ne virtuali quidem distinguantur: nam si ipsa essentia Patris distinguitur personaliter ab essentia Filij, cum distinctio personalis sit species distinctionis realis, essentia Patris distinguitur realiter ab essentia Filij; ergo &c.

22. Breuiter concludo argumentum hoc

dilemmate. Dum dico *Pater non est Filius*, vel per negationem, qua nego Patrem de Filio, præscindo obiectiue essentiam à paternitate, & filiatione, vel non: si præscindo obiectiue, essentia non est omnino idem cum paternitate, & filiatione: si non præscindo obiectiue, sicut paternitatem nego de filiatione, sic essentiam nego de essentia; adeoque essentia Patris distinguitur ab essentia Filij.

23. Supposito, quod essentia, & relationes à parte rei non sint omnino idem, sicut *A. & A.*, & sicut *homo*, & *animal rationale*, quæritur, qua distinctione distinguantur, & utrum distinctione actuali ante omnem operationem intellectus, ut dicunt Scotistæ, qui talem distinctionem vocant formalem ex natura rei, an distinguantur solum distinctione virtuali intrinseca, ut dicunt Thomistæ, & plerique ex auctoribus Societatis. Huic quæstioni respondendo.

24. Dicendum quarto: essentia, & relationes ante operationem intellectus non distinguuntur distinctione actuali, seu formali ex natura rei, sed solum distinctione virtuali intrinseca.

25. Probatur: distinctio actualis inter duo includit aliquam negabilitatem obiectiuam, vnius de altero; distinctio virtualis intrinseca est, per quam licet duo nullam habeant negabilitatem obiectiuam, tamen non sunt omnino idem, sed distinguuntur ita, ut possint obiectiue præscindi, & possint verificari de ipsis prædicata alioquin contradictoria: sed licet essentia, & personalitates non sint omnino idem, sed possint obiectiue præscindi, ut dictum est conclusione 3. numero 17. tamen nulla datur negabilitas, propter quam essentia possit negari de relationibus; ergo &c. Probatur minor: nam si essentia esset negabilis de relationibus, faceret compositionem cum relationibus, adeoque Deus esset à parte rei compositus, quod est absurdum. Probatur antecedens. Quod enim à parte rei constituitur ex duobus, quorum vnum est negabile de alio, eo ipso est compositum: sed Deus constitueretur à parte rei ex essentia, & relationibus aliquo pacto negabilibus; ergo. E conuerso quod constituitur ex duobus, quæ non sunt negabilia, sed solum affirmabilia, eo ipso non est compositum, sed simplex, siquidem pura, affirmabilitas constituentium non est compositio, sed identitas, & simplicitas; sed Deus constituitur ex essentia, & relationibus affirmabilibus sine vlla obiectiua negabilitate; ergo est simplex sine vlla compositione.

26. Dices primo: datur à parte rei actu fundamentum, propter quod essentia, & relationes possunt obiectiue præscindi, ac de ipsis verificantur prædicata contradictoria; sed Scotistæ, dum ponunt distinctionem actualem formalem ex natura rei inter essentiam, & relationes, nihil aliud ponunt, quam hoc fundamentum; ergo nostra sententia quoad rem coincidit cum sententia Scotistarum, & ab illa differt solum quoad modum loquendi.

27. Re-

27. Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem. Primò Scotistæ ponunt aliquam negabilitatem essentia de relationibus, quam ego nego, adeoque re discrepo à Scotistis. Secundo si non posita hac negabilitate, fundamentum verificandi prædicata contradictoria Scotistæ vocant distinctionem actualem essentia à relationibus, malè loquuntur, siquidem distinctio actualis consistit in mutua negabilitate distinctorum. Vt igitur in materia de Trinitate cautè loquamur, hoc fundamentum non debet vocari distinctio actualis, sed distinctio virtualis intrinseca, vel distinctio eminentialis, vel identitas non omnimoda.

28. Dices secundò: dum facio hanc propositionem: *Relationes non sunt omnino idem cum essentia*, de relationibus nego aliquid; sed non aliud nego, quam essentiam; ergo de relationibus nego essentiam, adeoque essentia est aliquo pacto negabilis de relationibus.

29. Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem. Cum dico: *Relationes non sunt omnino idem cum essentia*, de relationibus nego identitatem omnimodam ipsarum cum essentia; sed hæc identitas per me est chimerica, adeoque distinguitur realiter ab essentia; ergo de relationibus nego aliquid distinctum realiter ab essentia, ipsam autem essentiam non nego.

30. Urgebis: etiam cum dico: *homo non est idem cum equo*, nego identitatem chimericam hominis cum equo, & tamen de homine nego etiam equum; ergo à pari.

31. Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia hæc propositio: *homo non est idem cum equo*, includit etiam hanc: *homo non est equus*; at hæc propositio: *relationes non sunt omnimodo idem cum essentia*, non includit hanc negatiuam: *relationes non sunt essentia*, sed oppositam affirmatiuam, *relationes sunt essentia*, & addit hanc, *sed non habent omnimodam identitatem cum essentia*.

32. Dices tertio: formalitas omnino identificata cum essentia est ipsa essentia identitate omnimoda; sed vera est hæc propositio: *pateritas non est formalitas omnino identificata cum essentia*; ergo de paternitate verè potest negari essentia.

33. Respondeo, distingo maiorem: formalitas relatiua omnino identificata cum essentia est ipsa essentia, nego maiorem: formalitas absoluta omnino identificata cum essentia est ipsa essentia, concedo maiorem: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Formalitas relatiua omnino identificata cum essentia non est essentia, sed est chimera, ideoque dum dicitur, quod paternitas non est formalitas relatiua omnino identificata cum essentia, de paternitate non negatur essentia, sed negatur chimera. Formalitas absoluta omnino identificata cum essentia est ipsa essentia per identitatem omnimodam, sed non potest verè negari de paternitate: falsa enim est hæc propositio negatiua: *pateritas non est rea-*

liter formalitas absoluta omnino identificata cum essentia, ac vera est opposita affirmatiua. Hæc solutio bene percepta potest applicari ad soluenda plura sophismata alioquin difficillima.

34. Dices: quæ à parte rei non habent actu aliquam identitatem, habent actu oppositam distinctionem; sed essentia, & relationes à parte rei non habent actu omnimodam identitatem; ergo habent actu distinctionem oppositam omnimodæ identitatis; ergo distinguuntur distinctione actuali.

35. Respondeo concessio primò syllogismo, nego vltimam consequentiam. Cum enim omnimodæ identitati non opponatur distinctio actualis, qua essentia sit negabilis de relationibus, sed distinctio purè virtualis, sequitur, quod essentia, & relationes habent actu distinctionem purè virtualem, eo pacto, quo Sol habet actu calorem purè virtualem.

36. Ad 1. distingo antecedens: pater constaret ex deitate, & paternitate distinctis virtualiter sine vlla negabilitate obiectiua, concedo: distinctis actualiter, & formaliter ex natura rei cum aliqua negabilitate obiectiua, nego; & nego consequentiam. Perfectæ simpliciter non obstat, quod res constituatur ex pluribus distinctis solum virtualiter, & sine vlla negabilitate obiectiua, sed solum obstat, quod res constet ex pluribus distinctis actualiter, & formaliter cum aliqua negabilitate obiectiua, ut dictum est n. 15.

37. Dices: saltem Pater non esset simplex simplicitate, qua non possit excogitari maior.

38. Respondeo, distingo: non esset simplex simplicitate, qua non posset excogitari maior logicè, concedo; qua non posset excogitari maior metaphysicè, hoc est perfectior, nego. Non potest excogitari simplicitas perfectior illa, per quam Pater ita non componitur ex pluribus obiectiue distinctis, ut identitate perfectissima sit ipsa summa simplicitas diuinæ essentia, quæ identificat secum omnes perfectiones; sed Pater est simplex hac simplicitate; ergo &c. Tota Trinitas est perfectissimè simplex, quia licet non sit simplex simplicitate excludente numerum, & distinctionem Personarum, tamen est simplex simplicitate excludente Personarum mutuam compositionem, & simplicitate, per quam tres Personæ identitate perfectissima sunt vna summa simplicitas diuinæ essentia.

29. Ad 2. iam dictum est, quod de essentia, & relationibus verificantur prædicata contradictoria, adeoque essentia præscindit obiectiue à relationibus, &c.

40. Ad 3. Principium illud: *Predicata contradictoria non possunt de eodem verificari*, debet intelligi *de eodem omnino*, non autem *de eodem non omnino*, hoc est de eodem re, sed distincto ratione obiectiue præscindente.

41. Dices primò: identitas realis consistit in

in indivisibili, adeoque omnia, quæ sunt idem realiter, sunt idem omnino.

42. Respondeo, negando antecedens, quod non potest assumi tanquam per se notum, cum præsciendū à mysterio Trinitatis, etiam in creatis negetur à plerisque, idest à Thomistis, Scotistis, & omnibus, qui in creatis admittunt distinctionem formalem ex natura rei, vel præcisionem obiectivam; in Trinitate verò negetur penè ab omnibus. Addo, quod Aristoteles 3. physic. text. 21. & S. Thomas in commentario eius loci expressè docent, non omnia, quæ quomodocunque sunt idem, ita esse idem, ut conveniant in omnibus prædicatis. Verba Aristotelis sunt: *Non enim eadem insunt quolibet modo isdem, sed solum quibus esse idem est.* Dixerat autem supra, *quod illa habent idem esse, quæ sunt idem etiam ratione.* Explicat S. Thomas verba Aristotelis, dicens. *Non enim oportet, quod omnia eadem conveniant is, quæ sunt quocunque modo idem, sed solum is, quæ sunt idem subiecto, vel re, & ratione.* Ex his sic argumentor. Per Aristotelem non oportet, quod omnia eadem conveniant is, quæ sunt quocunque modo idem; ergo potest aliquid convenire uni, & non alteri, adeoque possunt illis convenire prædicata contradictoria propter distinctionem rationis præscindens obiectivè. Affert Aristoteles exemplum. Via Athenis Thebas, & via Thebis Athenas, sunt eadem numero via, & tamen quia non sunt eadem via ratione, aliqua prædicata relatiua verificantur de via Athenis Thebas, quæ non verificantur de via Thebis Athenas: e. g. quod via Athenis Thebas sit acclivis, & sit ascensus, via Thebis Athenas non sit acclivis, nec ascensus, sed sit declivis, & descensus, quia in eadem numero via prædicata relatiua ascensus, & descensus distinguuntur ratione obiectivè præscindente. Rursus agere, & pati sunt idem numero motus, puta calefacere, & caleferi sunt idem numero motus calefactionis, & tamen non omnia prædicata relatiua, quæ verificantur de caleferi, verificantur de calefacere; nam caleferi est accipere calorem, calefacere non est accipere, sed dare calorem, quia in ipso motu calefactionis prædicata relatiua dandi, & accipiendi distinguuntur ratione obiectivè præscindente. S. Thomas 1. par. quæst. 28. art. 3. ad primum utitur hac doctrina, & his numero exemplis Aristotelis ad explicandum, quod pacto licet paternitas, & filiatio sint realiter idem cum essentia divina, habeant respectus oppositos, & distinguantur realiter inter se, & his exemplis allatis, concludit: *Et similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia, & similiter filiatio, tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus, unde distinguuntur realiter.*

44. Dices secundo: esse idem non omnino nihil aliud est, quam ita esse idem, ut possint verificari aliqua prædicata contradictoria; sed per illud principium, *contradictoria non possunt de eodem verificari*, asseritur, quod duo non pos-

sunt ita esse idem, ut de ijs possint verificari contradictoria; ergo alijs verbis negatur illud principium.

45. Respondeo, distinguo maiorem: esse idem non omnino nihil aliud est formaliter, quam ita esse idem, ut possint verificari contradictoria, nego: nihil aliud est radicaliter, transeat: ac præterea nego etiam minorem, ac dico quod per illud principium *non possunt de eodem verificari contradictoria*, non asseritur, quod duo non possunt esse ita idem, ut de ijs verificentur contradictoria, siquidem hoc negatur penè ab omnibus, sed asseritur, quod de eodem omnino non possunt verificari contradictoria. Si queratur, quid sit esse idem omnino, vel non omnino, respondeo, sicut respondet Aristoteles 9. Metaph. tex. 11. importunè querentibus, quid sit esse actu: *manifestum est, quod dicere volumus per inductionem in singularibus, & non oportet omnium definitionem querere, sed etiam quod proportionale est prospicere.* Ratio est, quia esse actu, esse idem omnino &c. sunt primi conceptus per se noti, qui proinde non debent explicari per alios conceptus notiores, sed solum per inductionem in singularibus. Per hanc inductionem explicando, quid sit idem omnino, dico, quod eadem omnino sunt, quæ ita sunt eadem, sicut A. est idem cum A, & sicut homo cum animali rationali. De ijs, quæ hoc pacto sunt idem, non possunt verificari vlla prædicata contradictoria. Addo, quod præter ea, quæ sunt idem, sicut homo cum animali rationali, dari possunt aliqua, quæ sunt realiter idem, ita ut debeant affirmari, ac non debeant negari, & tamen non sunt omnino idem, sicut A. cum A. etiam ex parte obiecti, ac de ijs possunt verificari aliqua prædicata contradictoria. Ad defendendum mysterium Trinitatis sufficit mihi, quod hoc genus identitatis non sit evidenter impossibile, & quod non sit evidenter impossibile ostendi auctoritate Aristotelis, S. Thomæ &c.

46. Dices tertio: evidens est, quod prædicata contradictoria non possunt realiter identificari; sed in nostra sententia identificarentur; ergo. Probatur: nam *esse idem omnino cum essentia, & non esse idem omnino cum essentia* sunt prædicata contradictoria; sed esse idem omnino cum essentia identificatur cum essentia, non esse idem omnino cum essentia identificatur cum paternitate, essentia autem, & paternitas realiter identificantur; ergo &c.

47. Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: essentiam esse idem omnino cum essentia, essentiam non esse idem omnino cum essentia, sunt prædicata contradictoria, concedo: essentiam esse idem omnino cum essentia, paternitatem non esse omnino idem cum essentia, sunt prædicata contradictoria, nego. Essentiam esse omnino idem cum essentia, essentiam non esse idem omnino cum essentia, sunt prædicata contradictoria, quia per ipsa affirmatur, ac negatur idem omnino. At hæc

P p

præ-

prædicata non verificantur, nec realiter identificantur. Essentiam esse omnino idem cum essentia, paternitatem non esse idem omnino cum essentia, non sunt prædicata contradictoria, quia cum essentia, & paternitas non sint idem omnino, non affirmant, ac negant idem omnino; & hæc prædicata verificantur, & identificantur, quod non repugnat, siquidem prædicata non contradictoria possunt identificari. Explicatur exemplo. *Hominem esse idem cum animali rationali: hominem non esse idem cum animali irrationali*, sunt prædicata contradictoria, quia affirmant, & negant identitatem eiusdem cum eodem, ideoque non possunt identificari. At hominem esse idem cum animali rationali, hominem non esse idem cum animali irrationali, non sunt prædicata contradictoria, quia affirmant, & negant identitatem eiusdem, sed non cum eodem, ideoque possunt identificari, ac de facto identificantur in homine: nam homo per se ipsum, & per suam essentiam est idem cum animali rationali, ac non est idem cum animali irrationali. Proportionaliter dic in casu nostro.

48. Dices quarto: possemus asserere, quod omnia sunt realiter idem, & tamen de ijs verificantur prædicata contradictoria, quia non sunt eadem omnino, adeoque possemus negare omnem distinctionem realem.

49. Respondeo, negando sequelam. Ad arguendam distinctionem realem, habemus alia principia per se nota. Primo enim per se notum est, quod quæ sunt separabilia mutuo, vel non mutuo, & quæ non sunt mutuo intrinseca, distinguuntur realiter, & ex his, alijsque principijs arguimus in creatis distinctionem inter res, & res & inter res, & modos. Secundo est per se notum, quod quæ opponuntur oppositione originis, vel relationis, ita ut alterum generet, alterum generetur, alter sit Pater, alter sit Filius &c. realiter distinguuntur, & hoc est unicum principium ponendi distinctionem realem inter Personas diuinas, quæ nullam habent separabilitatem.

50. Ad 4. Quia oppositio contradictoria est maior relatiua, ideo contradictoriè opposita non possunt simul dari in rerum natura; at opposita relatiuè possunt, ac debent simul dari. Si enim datur pater, datur filius. Debet tamen aduerti quod aliud est verificari contradictione, seu propositiones contradictorias, aliud verificari prædicata contradictoria. Contradictio ex Arist. 1. Elenc. cap. 3. *Est affirmatio, & negatio eiusdem omnino de eodem omnino &c.* & hæc nunquam potest verificari. Prædicata contradictoria sunt affirmatio, & negatio eiusdem, & hæc de eodem omnino verificari non possunt, (nam eo ipso verificaretur contradictio) de diuersis, ac de eodem non omnino possunt verificari.

51. Vergebis: quia esse Patrem, & esse Filium sunt prædicata relatiuè opposita, Pater, & Filius debent distingui realiter, ergo quia communicari, & non communicari sunt prædicata

contradictoriè opposita, essentia, quæ communis, & paternitas, quæ non communicatur, distinguuntur realiter.

52. Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia relatiua sunt, quæ sunt ad alterum; ergo eo ipso, quod duo opponuntur relatiuè, distinguuntur realiter, & sunt alterum, & alterum. At de ratione prædicatorum contradictoriorum est, quod non verificentur de eodem omnino; ergo ad hoc, ut verificentur, sufficit, ut ea, de quibus verificantur, non sint idem omnino, non requiritur, ut distinguantur realiter.

53. Vergebis iterum: magis opponuntur prædicata contradictoria, puta communicari, & non communicari, quam prædicata relatiuè opposita, puta esse Patrem, & esse Filium; ergo si Pater, & Filius debent distingui realiter, a fortiori essentia, quæ communicatur, & paternitas, quæ non communicatur, debent distingui realiter.

54. Respondeo, negando antecedens. Prædicata relatiuè opposita includunt etiam prædicata contradictoriè opposita; sed magis opponuntur, quæ opponuntur duplici oppositione, contradictoria nimirum, & relatiua, quam quæ opponuntur solum oppositione contradictoria; ergo magis opponuntur prædicata relatiuè opposita, quam prædicata solum contradictoriè opposita. In casu nostro *esse Patrem, & esse Filium* opponuntur relatiuè, & etiam contradictoriè. Nam *esse Patrem* est *esse Patrem alterius*, adeoque est non *esse suum Filium*; & *esse Filium* est *esse Filium alterius*, adeoque est non *esse suum Patrem*; ergo *esse Patrem, & esse Filium* includunt *esse Patrem, & non esse Patrem, esse Filium, & non esse Filium*, ac proinde includunt oppositionem contradictoriam, & addunt relatiuam. At communicari, & non communicari non includit oppositionem relatiuam producentis, & producti, ergo magis opponuntur *esse Patrem, & esse Filium*, quam communicari, & non communicari, ac proinde licet essentia, quæ communicatur, possit non distingui realiter à paternitate, quæ non communicatur, tamen Persona Patris debet realiter distingui à Persona Filij.

55. Ad 5. nego minorem, ac dico, quod principia illa, *Quæ sunt idem eidem tertio, sunt idem inter se: Quæ sunt idem inter se, distinguuntur ab eodem tertio*, debent intelligi de ijs, quæ sunt idem identitate omnimoda, hoc est re, & ratione, quæ autem ita sunt idem eidem tertio re, ut distinguantur ratione obiectiuè præscindente, possunt non esse idem inter se, ut ex Aristotele 3. physic. tex. 21. & S. Thoma 1. par. quæst. 28. art. 3. dictum est num. 44. Similiter quæ ita sunt idem re inter se, ut distinguantur ratione præscindente obiectiuè, possunt non distingui ab eodem tertio: sed Pater, & Filius ita sunt idem cum eodem tertio, hoc est cum essentia, ut ab illa distinguantur ratione præscindente obiectiuè paternitatem, & filiationem

ncm

nem ab essentia; ergo Pater, & Filius possunt non identificari inter se: ac similiter Pater, & essentia licet sint idem re inter se, quia distinguuntur ratione obiectiue præscindente essentiam à Paternitate, possunt non distingui ab eodem tertio, hoc est à Filio, à quo Pater distinguitur, essentia verò non distinguitur.

56. Proportionaliter syllogismi expositiui tum affirmatiui, tum negatiui, ut nitantur ijs principijs, debent affirmare identitatem omnimodam; sed per illum syllogismum, *Hæc essentia est Pater; Filius est hæc essentia*, neque affirmatur identitas omnimoda essentiae cum Patre, neque Filij cum essentia: similiter per illum syllogismum negatiuum, *Filius non est Pater; hæc essentia est Filius*; ergo &c. non affirmatur identitas omnimoda huius essentiae cum Filio; ergo non est mirum, quod non sequatur conclusio.

57. Adde omnes syllogismos affirmatiuos etiam expositiuios, ut concludant, debere niti dicto de omni, omnes negatiuos debere niti dicto de nullo, adeoque medium terminum debere sumi vniuersaliter distributiue, ut ex Aristotele docent Summulistæ; sed in hoc syllogismo: *Hæc essentia est Pater; Filius est hæc essentia*; ergo &c. hæc essentia, quæ est medius terminus, non sumitur vniuersaliter distributiue, ita ut sensus sit, *Omne, quod est hæc essentia, est Pater*, (nam tunc maior esset falsa, siquidem Filius, & Spiritus Sanctus sunt hæc essentia, & tamen non sunt Pater,) sed sumitur tantum particulariter, ita ut sensus sit, *Aliquid, quod est hæc essentia, est Pater*; ergo non nititur dicto de omni, & ita est in prima figura, ut maior sit particularis. Est autem regula Summulistarum ex Aristotele, quod in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur, ut patet in hoc syllogismo: *Aliquod animal est equus; homo est animal; ergo homo est equus*, cui similis est syllogismus positus. Similiter in illo syllogismo negatiuo, *Pater non est Filius; hæc essentia est Pater; ergo hæc essentia non est Filius*; maior *Pater non est Filius*, non est vera vniuersaliter distributiue, ita ut sensus sit, *Nulum, quod est Pater, est Filius*; siquidem essentia est Pater, & simul est Filius, ideoque laborat eodem vitio non distribuendi medium terminum, & est in prima figura cum maiori particulari. Si essentia, & relationes non possent obiectiue præscindi, cum sumeretur essentia, sumerentur omnia, quæ sunt essentia, & cum sumeretur relatio, sumerentur omnia, quæ sunt relatio, adeoque termini distribuenter, & syllogismi positi concluderent.

58. Dices: principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, debet intelligi proportionaliter, ita ut sensus sit, *Quæ sunt omnino idem cum tertio, sunt omnino idem inter se: quæ sunt realiter idem cum tertio, sunt realiter idem inter se*.

59. Respondeo, negando maiorem. Non enim valet, *quæ sunt inadæquatè idem cum tertio, sunt inadæquatè idem inter se*, siquidem anima, & corpus sunt inadæquatè idem cum homine, &

tamen non sunt inadæquatè idem inter se, sed totaliter, & adæquatè distinguuntur.

60. Ad 6. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: de diuina essentia affirmatur, quod sit paternitas, & negatur, quod generet Filium, & distinguat Patrem à Filio, hoc est quod sit absolutum generans Filium, & distinguens Patrem à Filio, concedo: & negatur, quod sit relatiuum generans Filium, & distinguens Patrem à Filio, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dum dicitur: *Essentia non generat Filium, & non distinguit Patrem à Filio*, negatur solum, quod essentia sit absolutum generans, at non negatur, quod sit relatiuum generans. Licet enim essentia non generet, tamen, ut docet Lateranense relatum capite firmiter, est Pater generans, seu est relatiuum generans; & licet essentia non generetur, tamen est Filius genitus, seu relatiuum genitum. Paternitas est quidem omnino idem cum relatiuo generante, at non est omnino idem, sed realiter distinguitur ab absoluto generante; siquidem absolutum generans est chimera, ac Paternitas realiter distinguitur à chimera; ergo de essentia affirmatur paternitas, & non negatur, sed affirmatur id, quod est omnino idem cum Paternitate, hoc est relatiuum generans, & solum negatur de essentia absolutum generans, hoc est chimera realiter distincta à paternitate. Idem dic ad alias similes propositiones.

61. Dices primò: gratis dicitur, quod per has propositiones, *essentia generat: essentia non generat*, significatur *essentia est absolutum generans, essentia non est absolutum generans*.

62. Respondeo rationem esse, quia quando subiectum est terminus absolutus, & prædicatio fit per verbum adiectiuum, supponit ex parte prædicati pro recto absoluto; quando autem subiectum est relatiuum, supponit ex parte prædicati pro recto relatiuo; sed cum dicitur, *essentia generat, essentia non generat*, subiectum propositionis est essentia, quæ est terminus absolutus, ac prædicatio fit per verbum adiectiuum genero; ergo ex parte prædicati supponit pro recto absoluto, & sensus est, *essentia est absolutum generans: essentia non est absolutum generans*. E conuerso cum dicitur *Pater generat*, subiectum est Pater, qui est terminus relatiuus, ideoque sensus est, *Pater est relatiuum generans Filium*.

63. Dices secundo: si sensus huius propositionis *essentia non generat*, esset, *essentia non est absolutum generans*, dum verificatur, quod paternitas generat, essentia non generat, de paternitate, & essentia non verificarentur prædicata contradictoria: sed distinctio virtualis de paternitate, & essentia probatur solum ex hoc, quod de paternitate, & essentia verificantur prædicata contradictoria; ergo non probaretur distinctio virtualis intrinseca inter paternitatem, & essentiam.

64. Respondeo, negando minorem, & dico, quod distinctio virtualis inter Paternitatem, &

essentiam probatur ex hoc, quod de illis verificentur prædicata contradictoria, vel propositiones, quæ essent contradictoria, nisi essentia distingueretur virtualiter à paternitate; sed si essentia, & paternitas non distinguerentur virtualiter, istæ propositiones: *paternitas generat, essentia non generat*, essent contradictoria, & simul verificarentur; ergo. Probatur minor: nam paternitas, & essentia essent omnino idem; ergo idem omnino generaret, & non generaret. Nec dicas, sensus esset, quod paternitas esset relatiuum generans, essentia non esset absolutum generans, ac proinde de eodem omnino non affirmaretur, & negaretur idem prædicatum. Nam iuxta illam opinionem absolutum, & relatiuum essent idem omnino; ergo dum affirmaretur relatiuum generans, & negaretur absolutum generans, idem omnino de eodem omnino affirmaretur, & negaretur, ac proinde verificarentur propositiones contradictoriae; ergo ne verificentur propositiones contradictoriae, dicendum est, quod essentia, & paternitas, absolutum, & relatiuum non sunt omnino idem, ac proinde distinguuntur virtualiter intrinsecè.

65. Dices tertio: saltem de essentia, & relationibus non verificantur prædicata contradictoria.

66. Respondeo, distingo: non verificantur prædicata contradictoria per propositiones de primo adiacente per verbum adiectiuum, transeat per propositiones de secundo adiacente, nego. Per istas propositiones de primo adiacente per verbum adiectiuum *paternitas generat, essentia non generat: paternitas non communicatur Filio; essentia communicatur Filio*, non idem prædicatum affirmatur de paternitate, & negatur de essentia, vt probatum est num. 60. ideoque non verificantur prædicata contradictoria de essentia, & paternitate. At per istas propositiones de secundo adiacente: *Essentia est Filiatio, paternitas non est Filiatio*, eadem relatio Filiationis, quæ affirmatur de essentia, negatur de paternitate; ergo dum verificantur istæ propositiones, de essentia, & paternitate verificantur prædicata contradictoria, sed non verificantur de eodem omnino, quia essentia, & paternitas non sunt idem omnino.

67. Dices: quare sicut asserimus, quod sensus istius propositionis *essentia non generat*, est *essentia non est absolutum generans*, sic non asserimus, quod sensus istius propositionis, *essentia est filiatio* sit *essentia est absolutum*, quod est *filiatio*?

68. Respondeo rationem esse, quia in hac prædicatum *filiatio* est relatiuum, ideoque supponit pro recto relatiuo. At in hac propositione, *essentia non generat*, prædicatum non exprimitur per nomen relatiuum, sed includitur in verbo adiectiuo, ideoque quia subiectum est terminus absolutus, verbum adiectiuum, supponit pro absoluto.

69. Ad 7. distingo antecedens: deberet asserri ratio euidens, quare possibile sit, vt in

Deo tres Personæ sint vna numero essentia, in creatis sit impossibile, nego: deberet asserri ratio probabilis, transeat. Sicut non potest euidenter probari possibilitas Trinitatis, ac distinctionis virtualis intrinsecè in diuinis, sic existimo non posse euidenter probari eius impossibilitatem in creatis. Supposita fide, ex qua videtur colligi hoc mysterium esse proprium Dei, adeoque repugnare in creatis, disparitas probabilis iuxta principia posita quæstione 33. est, quia solum summum bonum potest summè se communicare; bonum non summum non potest se communicare summè; sed communicatio, qua Persona se communicat alteri Personæ per identitatem essentiae cum sola distinctione Personarum, est summa; ergo conuenit soli Deo, repugnat creaturis.

70. Inferitur primò ex dictis, quædam in Deo distingui realiter, quædam virtualiter intrinsecè, quædam virtualiter extrinsecè. Realiter distinguuntur ea solum, quæ opponuntur relatiuè, & hæc præcisè distinguuntur secundum relationes: ex gr. realiter distinguuntur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus secundum relationes paternitatis, filiationis, & spirationis passiue. Et rursus Pater, & Filius distinguuntur realiter à Spiritu Sancto secundum oppositas relationes spirantis, & spirati. Virtualiter intrinsecè, ac ratione præscidente, obiectiuè distinguuntur solum illæ rationes, quæ eadem numero comparantur vt magis, & minus communes, siquidem de illis solis verificantur prædicata contradictoria. Et quia essentia diuina est communis tribus Personis, nulla quatuor relationum est communis tribus Personis, ideo essentia distinguitur virtualiter intrinsecè à quatuor relationibus. Rursus quia spiratio actiua est communis Patri, & Filio, distinguitur virtualiter intrinsecè à paternitate, quæ est propria Patris, & à filiatione, quæ est propria Filij. Rationes conuertibiles, quarum vna non est communior, quam altera, distinguuntur solum virtualiter extrinsecè, & ratione non præscidente obiectiuè. Et quia essentia, attributa sapientiæ, potentiæ, & vniuersim omnia prædicata absoluta sunt, ita conuertibilia, vt nullum eorum conueniat vni, cui non conueniat alterum, siquidem sunt communia omnibus Personis, ideo essentia, attributa, & omnia absoluta distinguuntur solum virtualiter extrinsecè, ac ratione non præscidente obiectiuè, vt dictum est quæst. 22.

71. Inferitur secundo, quod Pater virtualiter intrinsecè constituitur per tres rationes virtualiter intrinsecè distinctas, nimirum per essentiam, seu deitatem, per spirationem actiuam, & per paternitatem. Per essentiam communem Filio, & Spiritui Sancto constituitur vnus, & idem Deus cum Filio, & Spiritu Sancto, & primo distinguitur à creaturis, & ab omnibus, quæ non sunt Deus vnus. Per spirationem actiuam communem Filio constituitur vnus, & idem spirator cum Filio, & pri-

mo distinguitur à Spiritu Sancto. Per paternitatem propriam constituitur ultimo Pater, & distinguitur ab omni alia Persona diuina. Omnes rationes eadem numero communes tribus Personis identificantur virtualiter intrinsecè cum essentia. Omnes rationes eadem numero communes Patri, & Filio identificantur etiam virtualiter intrinsecè cum spiratione actiua. Omnes rationes eadem numero propriæ Patris, quales sunt ratio ingeni, seu innascibilis, ratio generantis &c. identificantur virtualiter intrinsecè cum paternitate. Proportionaliter Filius constituitur virtualiter intrinsecè per essentiam, spirationem actiuam, & filiationem; Spiritus Sanctus constituitur virtualiter intrinsecè per essentiam communem, & spirationem passiuam propriam. Licet Personæ constituantur intrinsecè, tum per rationes communes, tum per proprias, tamen dicuntur præcipue constitui per proprias, ideoque authores loquentes de constitutiuis diuinarum Personarum solent loqui de proprijs.

QVÆSTIO CI.

Vtrum Personæ diuinæ primo constituantur, & distinguantur per proprietates absolutas, vel per relatiuas, per origines, vel per relationes?

S. Th. qu. 40. art. 2. & 4.

1. **P**rimò videtur, quod Personæ diuinæ, ex.gr. Pater, & Filius non primo constituantur per proprietates relatiuas Patris, ac Filij, sed per aliquas proprietates absolutas antecedentes, vt docuerunt Guilelmus Parisiensis Tractatu de Trinitate, & Ioan. de Ripa in 1. dist. 26. quorum opinionem vt probabilis defendit Scotus eadem dist. 26. In creatis enim Persona Patris, & Filij non primo constituitur per hoc, quod alter sit Pater, alter sit Filius, sed per aliquid antecedens absolutum, puta per hoc, quod alter sit Petrus, alter sit Paulus; ergo etiam in diuinis.

2. Secundò videtur, quod Personæ diuinæ non primo constituantur per relationes Patris, & Filij &c. sed per origines, nimirum per hoc, quod Pater sit generans, Filius genitus, Spiritus Sanctus spiratus, vt docuit S. Bonauentura in 1. dist. 27. quæst. 7. Personæ enim diuinæ primo constituuntur per id, quod ita est propriū vniuscuiusque Personæ, vt concipiatur tanquā prius; sed origines ita sunt propriæ vniuscuiusque Personæ, vt concipiatur tanquam priores relationibus; ergo. Probatur minor: nam relationes concipiuntur vt fundatæ in originibus, ex.gr. Pater prius concipitur generare Filium, deinde habere relationem paternitatis fundatam in generatione actiua.

3. Tertiò Pater videtur neque constitui per originem, neque per relationem paternitatis. Persona enim Patris prius concipitur constituta, quam generet, & quam habeat re-

lationem Paternitatis fundatam in generatione; ergo Pater primò constituitur per aliquid antecedens tum originem, tum relationem.

4. Respondeo duas examinandas esse quæstiones. Prima est, vtrum Personæ diuinæ primo constituantur, & distinguantur per aliquas proprietates absolutas, an per relatiuas?

5. Dicendum cum opinione communiter omnium Theologorum. In Personis diuinis non dantur vllæ proprietates absolutæ, adeoque primò constituuntur, & distinguuntur per relationes paternitatis &c.

6. Probatur primò: nam Spiritus Sanctus Personas diuinæ in scripturis non nominat alijs nominibus, quam significantibus origines, vel relationes, quales sunt *Pater, Filius, Vni-genitus, Verbum, Imago, Spiritus veritatis, Spiritus, qui à Patre procedit* &c; sed Spiritus Sanctus vtitur nominibus aptis ad significanda constitutiuæ Personarum; ergo Personæ diuinæ constituuntur per relationes paternitatis &c.

7. Probatur secundò auctoritate Concilij Florentini, & simul omnium Patrum. Sessio enim 18. post medium Ioannes Theologus tacite approbante Concilio, cuius nomine loquebatur, dicit, *sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores Diuinæ Personas multiplicat, & paulò post: Ita vt non alia ratione, quam vi relationis Pater à Filio, & vna Persona ab alia differant.* Consonat Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei, cap. 1. dicens, *hoc solo numero insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Ideò receptum est axioma Boetij l. de Trinitate: *sola relatio multiplicat Trinitatem*, & axioma desumptum ex Anselmo de Incarnatione Verbi cap. 3. *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*; quod axioma approbatum est in Concilio Florentino ab Eugenio IV. & positum in decreto pro Iacobinis; sed si Personæ haberent proprietates absolutas, non solæ relationes, sed proprietates absolute multiplicarent Personas diuinæ; ergo &c. Plures aliæ auctoritates Conciliorum, & Patrum videri possunt apud Suarium l. 7. de Trinitate cap. 5. Vasquez disp. 158. cap. 3. & Ruiz disp. 87. sect. 2. propter quas auctoritates oppositam sententiam multi existimant erroneam, Ruiz censet errori proximam, Suarius improbabilem, & communi sensui contrariam.

8. Tertiò, supposita fide, conclusio probatur ratione. Nam omnis distinctio oritur, vel ex limitatione, per quam vnum habet negationem perfectionis, quæ est in alio, vel ex oppositione relatiua; sed in Deo distinctio non potest oriri ex limitatione; ergo oritur purè ex oppositione relatiua.

9. Secunda quæstio est, vtrum Personæ diuinæ constituantur primò per origines, an per relationes?

10. Dicendum Personas diuinæ virtualiter intrinsecè eodem pacto constitui per origines, ac per relationes. Ratio est, quia Personæ diuinæ virtualiter intrinsecè eodem pacto constituuntur.

stituntur per omnes rationes, quæ virtualiter intrinsecè non distinguuntur; sed ex dictis questione 100. num. 71. in Patre relatio paternitatis non distinguitur ab origine, seu generatione actiua; idemque proportionaliter dic de alijs Personis; ergo &c.

11. Hoc supposito, quæritur, vtrum Personæ diuinæ ratione nostra primò constituantur, & mutuò distinguantur originibus, vel relationibus. S. Bonaventura loco citato docuit Personas ratione nostra primò constitui, & mutuò distingui originibus, ac proindè relationes concipi vt proprietates aduenientes Personis iam constitutis: putà Patrem primò constitui per hoc, quod generet Filium, relationem verò Paternitatis concipi vt proprietatem aduenientem Personæ Patris vt constitutæ: idemque proportionaliter dic de Filio, & Spiritu Sancto.

12. Dicendum cum S. Thoma 1. parte questione 40. art. 2. Personæ iuxta nostrum modum concipiendi constituuntur per relationes, non autem per origines.

13. Probat: nam Personæ iuxta nostrum modum concipiendi constituuntur per id, quod concipitur ad modum formæ constitutiua, non autem per id, quod concipitur ad modum actionis consequentis formam constitutiua, vel ad modum viæ ad talem formam; sed relationes concipiuntur ad modum formæ constitutiua, origines ad modum actionis, aut viæ; ergo &c. Probat minor: nam Pater concipitur vt constitutus per hoc, quod sit principium generatiuum, adeoque per relationem principij: origo vero, seu generatio actualis concipitur vt actio procedens à Persona iam constituta. Similiter Filius concipitur vt constitutus per hoc, quod habeat relationem Filiationis, per hoc autem, quod generetur, & nascatur, concipitur vt in via ad accipiendam formam Filij; idemque dic proportionaliter de Spiritu Sancto.

14. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas patet ex dictis. Nam Personæ creatæ, cum sint limitatæ, possunt primò constitui, ac distingui per hoc, quod habeant duas perfectiones absolutas se mutuò excludentes propter limitationem: at Personæ diuinæ cum sint illimitatæ, purè possunt distingui propter oppositionem relationum Patris, & Filij, Generantis, & geniti.

15. Ad 2. distinguo maiorem: Personæ primò constituuntur per id, quod concipitur vt prius, si illud concipiatur vt via ad Personam, nego; si concipiatur non vt via, sed vt terminus, & forma, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Filius dum concipitur nasci, concipitur vt in via ad habendum esse Personale Filij; ergo non concipitur vt constitutus per natiuitatem, sed vt constitutus per filiationem, quæ concipitur vt forma, & terminus.

16. Ad 3. distinguo antecedens: Persona Patris prius concipitur constituta, quam ge-

neret, & quam habeat relationem Paternitatis sub conceptu relationis principij generatiui, nego; sub conceptu explicito relationis paternitatis, concedo; & distinguo eodem pacto consequens. Pater concipitur constitutus non per hoc, quod habeat relationem Paternitatis fundatam in origine, seu generatione actiua, sed per hoc, quod habeat relationem principij generatiui, adeoque per paternitatem conceptam sub conceptu relationis principij, sub quo conceptu est prior, quam origo, siue actio generatiua. Hæc doctrina desumpta est ex S. Thom. 1. parte questione 40. art. 4.

QVÆSTIO CII.

Vtrum in Trinitate conuenienter assignentur principium producens, terminus productus, potentia, & actio productiua?

S. Th. q. 11. a. 4. & 5.

1. **P**rimò videtur principium producens vt quod non esse persona vt constituta ex essentia, & relatione, sed esse sola relatio. Vt enim tota persona Patris ex. gr. generaret Filium, etiam essentia deberet generare; sed essentia non generat, vt docet Concilium Lateranense relatum cap. firmiter; ergo.

2. Secundò videtur terminus productus vt quod non esse tota persona producta, sed sola relatio. Si enim tota Persona Filij constituta ex essentia, & relatione esset genita, etiam essentia esset genita, quod est contra Lateranense.

3. Tertiò videtur terminus formalis diuinarum productionum non esse essentia, sed relatio. Terminus enim formalis diuinarum productionum debet esse formaliter productus; sed sola relatio est formaliter producta, essentia non est producta; ergo.

4. Quartò videtur potentia generatiua; qua Pater generat Filium, non esse essentia, sed relatio paternitatis, & potentia spiratiua, qua Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum, non esse essentia, sed relatio spirationis actiua. Potentia enim generatiua debet distingui realiter à genito, & potentia spiratiua debet realiter distingui à spirato; sed essentia diuina non distinguitur realiter à genito, hoc est à Filio, nec à spirato, hoc est à Spiritu Sancto; ergo.

5. Quintò essentia est in Filio, & Spiritu Sancto; ergo si essentia esset potentia generatiua, & spiratiua, potentia generatiua esset non solum in Patre, sed in Filio, ac Spiritu Sancto, ac proindè non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus possent generare.

6. Respondeo, quod quia in omni processione reali datur principium producens, terminus

nus productus, potentia, & actio productiva, debemus hac explicare in diuinis processioni- bus ad intra.

7. Queritur igitur primò, quodnam in di- uinis sit principium producentis *ut quod*, & quis sit terminus totalis productus *ut quod*?

8. Respondeo totam Personam, quæ ha- bet relationem producentis, esse principium, producentis *ut quod*; totam Personam, quæ ha- bet relationem producti, esse terminum tota- lem productum *ut quod*. Tota ergo Persona Patris est principium generans Filium; totus Filius est terminus totalis genitus *ut quod* &c. Conclusio est de fide, vel fidei proxima, vt do- cet Ruiz de Trin. disp. 98. sect. 5.

9. Probatur primò auctoritate Patrum. Nazianzenus orat. de Fide Nicæna Filium ap- pellant *Perfectum de perfecto, totum à toto*; & post pauca addit: *In Patre totum, quod inest, totum genuit Filium*. Ambrosius lib. de Filij diuini- tate cap. 7. loquens de Filio dicit: *Totus de to- to, integer de integro*, & lib. 4. de Fide ad Gratia- num, cap. 3. *Ex Patre totus est Filius*. Augusti- nus term. 125. de Tempore: *Genuit Filium to- tum à toto, perfectum à perfecto, plenum à pleno*. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Vnum ex vno, & totum à toto, Deum, & Filium*; ergo Patres docent to- tum Patrem totum Filium genuisse, ac proin- dè principium generans *ut quod* esse totam per- sonam producentem, terminum totalem ge- nitum esse totam personam, quæ generatur; sed idem proportionaliter valet de Spiritu San- cto; ergo &c.

10. Probatur secundò conclusio ratione. Nam proculdubio, si nihil est in Patre, quod per generationem non det Filio diuinitatem, esse, & omnia, quæ habet Filius, totus Pater generat Filium, & est principium generans *ut quod*; & si nihil est in Filio, quod per genera- tionem non accipiat à Patre, totus Filius ge- neratur, & est terminus totalis genitus; sed hoc verificatur; ergo. Probatur minor: nam in Patre etiam essentia per generationem, qua Pater generat Filium, dat se ipsam Filio; Fi- lius autem per generationem accipit à Patre non solum relationem Filij, sed diuinitatem, essentiam, & omnia, quæ habet; ergo. Ideò Christus Ioan. 5. dixit: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in se- metipso*; sed viuere viuentibus est esse; ergo Fi- lius per generationem accipit à Patre vitam, ef- fectum, & totum esse.

11. Queritur secundò, quinam sit termi- nus formalis diuinarum productionum, & pro- cessionum?

12. Respondeo, quod Ockam in 1. dist. 5. quæst. 3. Gabriel eadem dist. quæst. 3. Aureo- lus eadem dist. quæst. vnica, & quidam alij, quos refert Ruiz disp. 98. sect. 6. dixerunt, ad terminum formalem productionis requiri, vt producat, ac proindè essentiam, quæ non producat, non esse terminum formalem di- uinarum productionum. S. Thomas in 1. dist. 5. quæstione 3. art. 1. in corpore, Scotus

eadem dist. quæst. 2. & alij, quos sequuntur Suarez de Trinit. lib. 6. cap. 6. Vasquez disput. 162. cap. 3. & Ruiz loco citato docent ad ter- minum formalem productionis non requiri, vt producat, sed sufficere, vt communice- tur. Quæstio est magna ex parte de nomine, in qua dicendum cum secunda sententia: ter- minus formalis diuinarum productionum est diuina essentia, quæ tamen non est terminus productus, sed communicatus. Probatur: nam terminus totalis est id, quod producat, ter- minus formalis est forma, quam agens ex pri- maria intentione dat productum tanquam con- stitutum ipsius, siue talis forma producat, seu solum communicetur: ex.gr. cum homo generat hominem, terminus totalis est homo genitus, puta Petrus, terminus autem forma- lis est natura humana, quia generans ex pri- maria intentione dat genito naturam huma- nam, vt per illam sit verus homo consubstan- tialis generanti &c.; sed Pater generans Filium ex primaria intentione dat illi deitatem, siue essentiam diuinam, vt per illam Filius sit ve- rus Deus, æqualis, & consubstantialis Patri; Pa- ter, & Filius producentes Spiritum Sanctum dant illi deitatem, siue essentiam diuinam; er- go &c.

12. Queritur tertio, vtrum in Deo detur physica, realis, & positiua potentia producen- di diuinas Personas, ex.gr. vtrum in Patre de- tur physica, & realis potentia generandi Fi- lium; in Patre, & Filio detur physica, & rea- lis potentia producendi, & spirandi Spiritum Sanctum?

13. Respondeo, quod vt refert Ruiz di- sp. 99. sect. 1. tres in hoc puncto sunt opinio- nes. Prima Aureoli in 1. dist. 7. t. parte, art. 2. docuit, in Deo non dari physicam potentiam productiuam, puta potentiam generandi, vel spirandi, sed solum dari potentiam logicam, ac proindè potentiam generandi esse talem, qualis est potentia, qua Deus potest esse Deus, Pater potest esse Pater &c. Fundamentum est, quia vt daretur physica potentia generandi, deberet realiter distingui ab ipso actu genera- di, & esse productiuam, seu elicitiuam talis actus; sed potentia generandi in Patre non distingui- tur realiter ab actu generandi, nec est produ- ctiva, vel elicitiua talis actus, siquidem actus generandi in Patre est improductus, sicut ipse Pater; similiter potentia spirandi non di- stinguitur realiter ab actu spirandi; ergo.

14. Secunda sententia, cui videtur fauere Molina quæst. 41. art. 4. & quæ à nonnullis tri- butur Gregorio, Caietano, & Canariensi, quos tamen Ruiz vindicat ab hac sententia, docet in Deo dari potentiam physicam, respec- tu termini producti, hoc est respectu Filij, & Spiritus Sancti, sed non dari potentiam phy- sicam, sed solum logicam respectu actuum notionalium generandi, ac spirandi. Funda- mentum est, quia potentia est realis, & physi- ca respectu illius, à quo realiter distinguitur, & est solum logica respectu illius, cum quo

iden-

identificatur; sed potentia generatiua distinguitur realiter à Filio, identificatur autem cum actu generandi; idemque dic proportionaliter de potentia spiratiua; ergo &c.

15. Dicendum primò cum communi sententia contra Aureolum: in Deo datur realis, physica, & positiua potentia generandi Filium, & spirandi Spiritum Sanctum.

19. Probatur primò auctoritate. Nam Patres tribuunt Deo potestatem, virtutem, potentiam, facultatem, seu vim generandi; sed hæc nomina absolute prolata significant potentiam physicam, & realem, ac non solum potentiam logicam, ideoque iidem Patres non tribuunt Deo potentiam ad hoc, vt sit Deus, vt sit æternus &c. quia hæc est potentia solum logica; ergo. Probatur minor: Athanasius Dialogo primo de Sancta Trinitate contra Anomæum, columna 6. dicit: *Vterum audiens, generandi vim, & os audiens, docendi facultatem intelligit; & propè medium; Vteri nomine genitricem vim ipsius hypostaseos intelligit; & post medium: Hypostasis declarat esse, vterus gignendi vim, os ipsam docendi facultatem.* Vide alios Patres apud Ruiz disp. 99. sect. 2.

17. Probatur secundò ratione S. Thomæ 1. parte quæst. 41. art. 4. Nomine enim potentia actiua physica, ac non solum logica, intelligimus principium, quo produciens producit aliquid à se distinctum; sed eo ipso, quod Pater verè, & realiter producit, ac generat Filium, datur in Patre principium, quo producit, ac generat Filium distinctum à Patre; ergo. Proportionali ratione probatur, quod datur in Patre, & Filio potentia productiua, seu spiratiua. Propter hæc & alia argumenta Ruiz disput. 99. sect. 2. num. 23. censet sententiam Aureoli esse temerariam, errori proximam, & periculofam.

18. Dicendum secundò: in Deo datur realis potentia, non solum respectu termini producti, sed etiam respectu actuum notionalium generandi Filium, & spirandi Spiritum Sanctum.

19. Probatur: nam cum datur potentia ad producendum terminum distinctum essentialiter, vel personaliter, talis potentia dicitur realis, non solum respectu termini, sed etiam respectu productionis, etiam si ipsa productio actu non distinguatur à producente, nec producat: ex.gr. quia Deus per potentiam creatiuam creat creaturas distinctas realiter à Deo producente, potentia creatiua est realis potentia, non solum respectu creaturarum productarum, sed etiam respectu creationis, ideoque Deus dicitur habere realem potentiam creandi, etiam si dicamus, quod creatio actiua non distinguatur à Deo; sed in Patre datur potentia ad generandum Filium personaliter distinctum à Patre, & spirandum Spiritum Sanctum personaliter distinctum à Patre, & Filio; ergo potentia generatiua, & spiratiua est realis, non solum respectu Filij, & Spiritus Sancti, sed etiam respectu generationis, & spirationis acti-

ua, etiam si generatio actiua non distinguatur realiter à principio generante, & spiratio actiua non distinguatur realiter à principio spirante. Ex opposita ratione, cum potentia non est ad terminum distinctum, neque est realis, & physica respectu termini, neque respectu actionis, sed respectu vtriusque est merè logica: ex.gr. quia in Deo potentia intelligendi, & amandi non est ad actum intelligendi, & amandi distinctum, neque est potentia physica respectu intellectionis, & amoris, neque respectu actionis intellectiua, & amatiua, sed respectu vtriusque est merè logica, & rationis. Videri potest S. Thomas quæst. 41. art. 4. ad 3.

20. Hinc responderi potest ad fundamenta duarum opinionum relatarum num. 13. & 14. Dicendum nimirum, quod cum est potentia ad producendum aliquid realiter distinctum à producente, dicitur realis, & physica non solum respectu termini, sed etiam respectu productionis actiua, etiam si produciens non distinguatur realiter à tali productione, vt ostensum est exemplo potentia creatiua.

21. Obijcies: Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum, cap. 4. dicit: *Generatio paterna proprietatis est, non potentia*; Et paulò post: *Generatio non ad sublimitatem potentia, sed ad proprietatem refertur naturæ*; & deindè generatio in paterna proprietate, non in iure est potestatis: Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Dialogorum non multo ante finem probat repugnare Deo, quod sit potentia Pater, & potentia sit ad generandum, quia Deus est actus purus; ergo Ambrosius, & Cyrillus negant in Deo potentiam generatiuam.

22. Respondeo, quod Ambrosius, & Cyrillus, vt patet ex contextu, negant Patrem esse Patrem potentia, in quantum potentia includit priuationem actus: cum enim sit actus purus, non includit priuationem oppositam actui generandi; non autem negant Patrem habere potentiam generandi, quæ semper, & necessariò includat ipsum actum generandi.

23. Dices: actui puro repugnat omnis potentia physica; Pater est actus purus; ergo Patri repugnat omnis potentia physica.

24. Respondeo ex doctrina tradita, quod actui puro repugnat potentia coniungibilis cum priuatione, at non repugnat potentia inconiungibilis cum priuatione actus.

25. Queritur quartò, vtum in Patre potentia generatiua sit essentia diuina, vel potius relatio, seu proprietas personalis Patris; & vtum in Patre, & Filio potentia spiratiua sit essentia diuina, vel potius relatio spiratoris.

26. Respondeo S. Bonauenturam in 1. dist. 7. art. 1. quæst. 1. Durandum eadem dist. quæst. 2. & Carthusianum eadem dist. quæst. 1. ac paucissimos alios docuisse non essentiam, sed solum relationem, seu proprietatem personalem

tem Patris esse potentiam generatiuam, ac principium *ex quo* generandi Filium; ac solam relationem spiratoris esse potentiam spiratiuam, seu principium *quo* spirandi Spiritum Sanctum.

27. Secunda sententia Magistri sententiarum in 1. dist. 7. quam sequuntur omnes alij Scholastici, nimirum Albertus, Henricus, S. Thomas 1. parte quæst. 41. art. 5. Scotus in 1. dist. 7. Suarius lib. 6. de Trinit. cap. 15. num. 6. Valquez 1. parte, disput. 164. cap. 1. & 3. Ruiz de Trinit. disput. 100. sect. 2. & alij, docet essentiam diuinam spectare ad formalem constitutionem potentie generatiue, & spiratiue, qua Pater generat Filium, Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum.

28. Dicendum cum secunda sententia: essentia diuina spectat ad formale constitutum potentie generatiue, & spiratiue.

29. Probatur primo auctoritate Patrum. Basilus lib. 5. contra Euanomium post medium dicit: *Pater natura diuina proprium Filium genuit: si genuit natura; ergo natura est potentia generatiua.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theodori, cap. 7. nominat generatiuam virtutem, & generatiuam essentiam Dei. Damascenus lib. 1. de fide, cap. 8. dicit: *Generatio sine principio, & eterna natura opus est, ex substantia eius profecta.* Hilarius lib. 5. de Trinitate propè finem loquens de Filio dicit: *ex virtute natura in naturam eandem nativitate subsistit.* Vide alios Patres apud Ruiz disp. 100. sect. 2.

30. Probatur secundo ratione. Nam in Patre illud se habet ut actio generatiua, per quod Pater ultimo formaliter constituitur actu generans; illud se habet ut potentia generatiua, virtute cuius existit actio generatiua; sed in Patre actio generatiua existit virtute essentie; nam ut dictum est quæst. 22. essentia diuina est prima, & adequata ratio existendi sibi ipsi, & omnibus relationibus, & originibus: Pater verò ultimo formaliter constituitur actu generans per Paternitatem, non autem per essentiam, quæ cum sit communis generanti, & genito, non est ultimum constitutum generantis ut generantis; ergo &c. Ex proportionali ratione essentia est potentia spiratiua communis Patris, & Filij; spiratio est actio spiratiua. Eadem essentia est potentia, qua Filius potest generari, & nasci: Filiatio est generatio passiva, siue actualis natiuitas Filij. Eadem essentia est potentia, qua Spiritus Sanctus potest spirari; spiratio est productio passiva, qua actu spiratur.

31. Queritur quinto, utrum potentia generandi sit sola essentia, præcendendo à relatione, an verò ultra essentiam includat relationem saltem in obliquo, & minus principaliter, atque idem proportionaliter queritur de potentia spirandi?

32. Respondeo Ockam, & Gabrielem, utrumque in 1. dist. 7. quæst. 1. & 3. docuisse solam essentiam, præcendendo à relatione, esse adequatam, & totalem potentiam

generandi, ac spirandi. Scotus, & Aureolus tribuunt hanc sententiam S. Thomæ 1. parte quæst. 44. art. 5. Alij tribuunt eandem Magistro in 1. dist. 7. Contra hanc opinionem communiter Theologi docent potentiam generatiuam, & spiratiuam non consistere in sola essentia, sed includere partialiter relationem. Ex his Henricus quodlib. 3. quæst. 3. in corpore, & alibi, Riccardus in 1. distinct. 1. quæst. 1. & distinct. 13. art. 2. docuerunt, potentiam generatiuam, & spiratiuam æquè principaliter, & in recto includere essentiam, ac relationes paternitatis, & spirationis actiue. Alij communiter docent potentiam generatiuam, & spiratiuam principaliter, & in recto consistere in essentia, minus principaliter, & in obliquo importare relationem paternitatis, & spirationis actiue. Hanc sententiam Ruiz disp. 109, sect. 3. tribuit Magistro in 1. distinct. 7. S. Thomæ 1. parte quæst. 41. art. 7. S. Bonaventuræ in 1. dist. 7. & alijs, eosque sequuntur Capreolus, Ferrariensis, Caietanus, Molina, Suarius, Valquez, & alij relati à Ruiz loco citato.

33. Dicendum: potentia generatiua, & spiratiua in recto est sola essentia: sed ut adequatè denominans personam potentem generare, vel spirare, includit in obliquo paternitatem, & spirationem actiuam.

34. Probatur prima pars: nam ex dictis num. 32. potentia generatiua est virtus adequata, à qua existit actio generandi; sed sole essentia per se ipsam est virtus adequata, à qua existit actio generandi; ergo potentia generatiua in recto est sola essentia. Ex proportionali ratione potentia spirandi in recto est sola essentia, quia sola essentia est virtus adequata, à qua existit actio spirandi.

35. Probatur iam secunda pars: nam sola essentia non sufficit ad denominandam Personam potentem generare, siquidem essentia datur in Filio, & Spiritu Sancto, & tamen illos non denominat potentes generare; ergo potentia generatiua ut adequatè denominans Personam potentem generare, includit in obliquo Paternitatem: & ex proportionali ratione ut adequatè denominans Personam potentem spirare includit in obliquo spirationem actiuam. Sicut igitur albedo est adequata forma dealbariua, sed ut proximè denominans album includit in obliquo subiectum capax: nam si poneretur in subiecto incapaci, puta in Angelo, non denominaret illum album; sic essentia diuina est adequata potentia generatiua, & spiratiua, sed ut adequatè denominans Personam potentem generare, includit relationem Paternitatis; & ut denominans Personam potentem spirare, includit in obliquo relationem spirationis actiue. In hoc sensu debet intelligi Damascenus lib. 2. de duabus Christi voluntatibus, dicens: *Omnia, qua habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta.* Virtus enim generandi, ut adequatè denominans potentem generare, ac proximè ut inclu-

includens Paternitatem, non communicatur Filio. In eodem sensu in Concilio Florentino sess. 19. Ioannes Theologus, postquam dixit substantiam esse potentiam, seu potestatem, & principium quo, seu per quod Pater generat Filium, subiungit: *Propterea tamen non sequitur, ut per hanc substantiam secundum suum esse commune, & absolutum, principium sit, per quod.* Per conclusionem hoc pacto explicatam facile conciliari possunt auctores, qui videntur contrarii.

36. Queritur sexto, utrum actio generatiua, & spiratiua sit relatio?

37. Respondeo affirmatiue ex dictis numero 31.

38. Ad 1. nego maiorem. Ut totus homo generet filium, non requiritur, ut anima rationalis generet filium; ergo ut tota Persona diuina generet, non requiritur, ut essentia generet.

39. Ad 2. nego sequelam. Ut totus homo generetur, non requiritur, ut etiam anima rationalis, per quam constituitur, generetur; ergo ut tota Persona Filij generetur, non requiritur, ut etiam essentia, qua constituitur, generetur. Ratio autem, cur essentia diuina neque generet, neque generetur, est, quia nihil potest generare, nisi terminum realiter distinctum, & nihil potest realiter generari, nisi à principio realiter distincto; sed essentia diuina non distinguitur realiter ab illo, quod sit in Deo; ergo neque generat, neque generatur ad intrā, sed solum agit, & operatur ad extrā.

40. Ad 3. nego maiorem, ac dico non requiri, ut terminus formalis diuinarum productionum producat, sed sufficere, ut communicetur: de facto enim in generatione hominis iuxta sententiam satis receptam, terminus formalis est anima rationalis, quæ non generatur, sed per generationem communicatur genito; sed ex dictis num. 12. essentia diuina licet non generetur, nec spiretur, tamen per generationem communicatur Filio, per spirationem communicatur Spiritui Sancto; ergo.

41. Ad 4. distingo maiorem: potentia generatiua purè *ut quo* debet distingui à genito, nego: potentia generatiua non purè *ut quo*, sed quæ etiam ipsa generet, concedo maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Generans distinguitur à genito purè secundum relationem generantis, & geniti. At potentia generatiua purè *ut quo*, cum non generet, sed ea Pater generet, non debet distingui à genito. Potentia generatiua solet etiam vocari, principium generandi *ut quo*, & hoc cum est purè *ut quo*, non debet distingui à genito.

42. Ad 5. concedo antecedens, & nego consequentiam, quoad partem, in qua dicitur, quod etiam Filius posset generare. Essentia est potentia generatiua, qua Pater potest generare, Filius potest generari, spirator

potest spirare, Spiritus Sanctus potest spirari; ergo ex eo, quod Filius habeat essentiam, sequitur, quod Filius habeat potentiam generatiuam, qua Pater potest generare, Filius non potest generare, sed solum potest generari.

43. Dices: repugnat, ut potentia generatiua sit in aliquo, & illud non constituat potens generare.

44. Respondeo, negando antecedens. Nam eadem forma vni subiecto, vel quasi subiecto potest tribuere vnam denominationem, alteri alteram: ex. gr. in sententia satis communi eadem entitas actionis causā tribuit denominationem producentis, effectui tribuit denominationem producti; ergo non est mirum, quod eadem potentia generatiua coniuncta cum relatione Paternitatis tribuat Patri denominationem potentis generare, coniuncta cum Filiatione tribuat Filio denominationem potentis generari. Habemus aliud exemplum ex hac ipsa materia de Trinitate. Certum est, quod eadem cognitio diuina est communis tribus Personis, & tamen tribuit illis diuersam denominationem. Nam per eandem cognitionem prout coniunctam cum Paternitate, Pater dicit: *ego sum Pater, & non sum Filius, genero, & non generor.* Filius dicit: *ego sum Filius, & non sum Pater, generor, & non genero.*

QVAESTIO CIII.

Utrum Verbum diuinum per se procedat ex cognitione intuitiua, & comprehensua non solum diuinae essentiae, & attributorum, sed etiam omnium diuinarum Personarum, omnium creaturarum possibilem, & omnium veritatum necessarium?

S. Th. q. 34. a. 3.

1. **V**idetur vera sententia Scoti in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 2. & in primo distinct. 10. docentis Verbum per se procedere solum ex cognitione intuitiua diuinæ essentiae, & omnium attributorum, non autem ex cognitione intuitiua ipsius Verbi, & Spiritus Sancti, ac multo minus procedere ex cognitione creaturarum possibilem; primò quia si Verbum procederet à cognitione intuitiua sui ipsius, & Spiritus Sancti, procederet etiam à se ipso, & à Spiritu Sancto, quod est absurdum. Probat sequela: quod enim procedit à cognitione intuitiua alicuius obiecti ut existentis, eo ipso procedit mediātē à tali obiecto ut existente.

2. Secundò omnis cognitio intuitiua supponit suum obiectum existere; sed cognitio, ex qua procedit Verbum, non supponit Verbum, & Spiritum Sanctum existere; ergo.

3. Tertiò in eo signo, in quo procedit Verbum,

bum, non intelligitur; ac multo minus supponitur Spiritum Sanctum existere; sed in eo signo, in quo obiectum cognoscitur intuitivè, intelligitur, & supponitur tale obiectum existere; ergo in eo signo, in quo procedit Verbum, non intelligitur Pater cognoscere intuitivè Spiritum Sanctum.

4. Quartò obiecti secundarii cognitio non est per se requisita ad producendum terminum intellectionis, qui est Verbum; sed sola essentia est obiectum primum diuinæ intellectionis; Personæ, & creaturæ sunt obiectum solius secundarium; ergo cognitio diuinarum Personarum, & creaturarum possibile non est per se requisita ad productionem Verbi.

5. Quintò etiam si Pater non intelligeret Spiritum Sanctum, ex eo præcisè, quod intelligeret se ipsum, & Verbum, produceret Verbum; ergo cognitio Spiritus Sancti non est per se requisita ad productionem Verbi.

6. Sextò si Pater produceret Verbum ex cognitione intuitiva ipsius Verbi, in signo præcedenti productionem Verbi, sciret Verbum ex se debere nasci; consequens est absurdum, ideoque Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri, cap. 8. existimat absurdum, ac non concedendum: *Per prius Patrem doctum fuisse, quod Filius sibi nasceretur, quam eum pepererit*; ergo &c.

7. Septimò ideo Verbum est imago Patris, quia procedit ex cognitione intuitiva Patris; sed procederet ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti, & creaturarum possibile; ergo esset etiam imago Spiritus Sancti, & creaturarum possibile: quod est falsum.

8. Octavò si Verbum procederet ex cognitione creaturarum possibile, procederet aliquo pacto ex creaturis possibilebus ut cognitis.

9. Nonò licet non esset possibile canis, aut equus, Verbum eodem pacto procederet; ergo cognitio possibilitatis canis, aut equi non est per se requisita ad productionem Verbi.

10. Respondeo in cognitione diuina posse ratione nostra distingui plures formalitates. Prima est, qua cognoscit essentiam diuinam; secunda, qua cognoscit attributa; tertia, qua cognoscit Personas; quarta, qua cognoscit creaturas ut posibles, & omnes veritates necessarias circa creaturas; quinta, qua cognoscit veritates contingentes per scientiam visionis, & mediam. Hoc posito, certum est Verbum procedere ex cognitione diuina, quæ re ipsa, habet omnes istas formalitates, & est cognoscitiva omnium. Quæritur, utrum per se procedat ex cognitione diuina secundum omnes explicatas formalitates, an verò solum secundum aliquas. Ut huic dubio satisfaciamus, præsentis quæstione examinabimus, utrum Verbum per se procedat ex cognitione diuina secundum quatuor primas formalitates necessarias, & quæ spectant ad scientiam simplicis intelligentiæ: quæstione sequenti examinabi-

mus, utrum per se procedat etiam ex quinta formalitate non necessaria, & quæ spectat ad scientiam visionis, & mediam.

11. Quatuor sunt sententiæ, quas referunt Vasquez 1. par. disp. 142. cap. 2. & Ruiz de Trinitate disp. 61. sect. 1. Prima Scoti, qui ut explicat Caietanus 1. parte quæst. 34. art. 3. docuit nec Verbum procedere ex scientia Personarum, & creaturarum possibile, nec Spiritum Sanctum ex amore earundem, tanquam ex principio, sed ex scientia, & amore solius essentiæ, ut perfectæ per omnia attributa, ut pote quæ spectant ad perfectionem essentiæ: Personas autem, & creaturas posibles sub eadem scientiam, seu amorem cadere necessariò, sed solum concomitantè. Hanc fuisse sententiam Scoti colligitur ex ijs, quæ docet præsertim in 1. dist. 2. q. 2. & dist. 32. q. 2. & in 2. dist. 1. qu. 10.

12. Secunda sententia Vasquez 1. parte disput. 142. cap. 3. & 4. & disp. 143. cap. 3. & 4. docet Verbum procedere tanquam ex principio per se requisito ex cognitione essentiæ, & omnium attributorum, & ex cognitione intuitiva Patris, & Filij, cognitionem autem intuitivam Spiritus Sancti, & cognitionem comprehensivam creaturarum possibile esse purè concomitantem.

13. Tertia sententia quorundam, qui eam tribunt Caietano 1. par. quæst. 34. art. 3. docet Verbum procedere non solum ex cognitione essentiæ, & attributorum, sed ex cognitione non quidem intuitiva, sed quasi abstractiva ipsius Verbi, & Spiritus Sancti. Ruiz tamen disput. 61. cap. 1. nu. 10. existimat Caietanum non docuisse hanc sententiam.

14. Quarta sententia, quam existimo veram, docet, Verbum procedere tanquam ex principio quo per se requisito, non solum ex cognitione essentiæ, & attributorum, sed etiam ex cognitione intuitiva omnium Personarum, & ex cognitione comprehensiva omnium creaturarum possibile, & omnium veritatum necessariarum. Hanc sententiam sequitur Ruiz de Trinit. disp. 61. sect. 3. pro eaque sect. 2. num. 12. citat Zumel, Bannez, Molinam, Suarez lib. 9. de Trinitate. cap. 3. Valentiam 1. parte quæst. 7. de Trinitate, eamque putat esse Caietani loco supra citato.

15. Probatum primò: nam dum dicitur Verbum produci ex essentia, vel cognitione essentiali, asseritur, quod ita producit a Patre, ut Pater per essentiam, & cognitionem essentialem tanquam per principium quo, seu potentiam generandi, ac dicendi Verbum, constituatur potens producere Verbum, ut explicatum est quæst. 102. num. 28; sed Pater constituitur potens generare, ac dicere Verbum per essentiam, tanquam per potentiam generativam, quæ essentia, ut ostensum est quæst. 42. est cognitio necessaria omnium, quæ Deus Pater intelligit; ergo. Ex proportionali ratione Spiritus Sanctus producit ex amore omnium, quæ Pater, & Filius amant, cum po-

entia spiritalia sit essentia diuina, quæ est amor necessarius omnium, quæ Deus amat, ut ostensum est quæst. 48.

16. Dices ergo Spiritus Sanctus procedit ex cognitione essentiali eodem pacto, ac Verbum, & Verbum procedit ex amore essentiali eodem pacto, ac Spiritus Sanctus.

17. Respondeo ne go ly eodem pacto. Nam Verbum ita procedit ex cognitione, ut sit Personaliter in linea cognitionis, non amoris; Spiritus Sanctus ita, ut sit in linea amoris, non cognitionis; ideoque simpliciter, & absolute Verbum dicitur procedere ex cognitione, non ex amore, Spiritus Sanctus è conuerso, ut explicatum est q. 98. num. 8.

18. Probatur secundo: nam Verbum procedit tanquam ex principio quo per se requisito ex cognitione omnium, quæ Pater dicit per Verbum; sed Pater per Verbum dicit non solum essentiam, & attributa, sed etiam Personas, creaturas possibiles, & omnes veritates necessarias, & vniuersim omnia, quæ scit; ergo Verbum procedit tanquam ex principio quo per se requisito ex cognitione omnium horum. Maior probatur: nam Verbum procedit tanquam ex principio quo per se requisito ex cognitione, quæ Pater constituitur proximè potens producere Verbum: sed Pater constituitur proximè potens producere Verbum per cognitionem, quæ scit omnia, quæ debet dicere per Verbum: vnusquisque enim constituitur proximè potens aliquid verè dicere per hoc, quod illud sciat; ergo. Probatur iam minor, quod nimirum Pater per Verbum dicat vniuersim omnia, quæ scit. Nam Verbum diuinum non est Verbum imperfectum, & inadæquatum, sed est Verbum perfectum, & adæquatum omnium, quæ Pater scit; ergo Pater per Verbum dicit non solum essentiam, & attributa, sed etiam Personas, creaturas possibiles, & vniuersim omnia, quæ scit. Probatur antecedens auctoritate Patrum. Athanasius in Epist. de decretis Synod. Nicænæ circa medium dicit: *Non enim multa verba sunt, ut vniuersumque eorum insufficientem habeatur, sed vnum Verbum, ut illud solum perfectum habeatur.* Basiliius homil. 16. in illud *In principio erat Verbum*, dicit: *Cur Verbum? Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem deducens, & perfectè in se existens, quemadmodum fere verbum nostrum, quod totius nostre cogitationis imaginem refert.* Cyrillus Alexandrinus Dial. de Trinitate, lib. 2. *Verbi quidem ex mente enunciatio etiam naturitas est passionis expers, & genitum non diuiditur, manet autem magis in mente, quæ genuit, & mentem, quæ genuit, in se habebit sufficientissimè, & manifestè demonstrabit.* Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 14. *Tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso.* Ideo v. b. *bum* hoc verè veritas est, quia quicquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est. Fulgentius lib. 3. ad Monimum, cap. 7. dicit: *Nec minus*

aliqui d habet Verbum, quod ex mente nascitur, quam ea mens, de qua nascitur. Anselmus in Prosologio cap. 23. *Quoniam autem idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, seu dicere, necesse est, quod eodem modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit, aut intelligit.*

20. Responderi potest primo ex principiis Scoti, quod sicut in diuina cognitione distinguuntur formaliter ex natura rei quatuor formalitates: prima, quæ cognoscit essentiam ut obiectum primum, & hæc sola est formalitas primaria diuinæ essentiae, & cognitionis: secunda, quæ cognoscit attributa; tertia, quæ cognoscit Personas; quarta, quæ cognoscit creaturas possibiles &c. & istæ tres sunt formalitates secundariæ sic proportionaliter in Verbo distinguuntur ex natura rei quatuor formalitates: prima, quæ Pater per Verbum dicit essentiam ut obiectum primum, quæ sola est formalitas primaria Verbi: secunda, quæ Pater per Verbum dicit attributa: tertia, quæ dicit Personas; quarta, quæ dicit creaturas possibiles: & istæ sunt formalitates secundariæ ipsius Verbi. Dum igitur asseritur, quod Verbum per se procedit solum ex cognitione essentiae, asseritur, quod Verbum secundum conceptum primum procedit per se solum ex cognitione essentiae, sed non negatur, quod Verbum diuinum adæquatè sumptum non solum secundum conceptum primum, sed etiam secundum conceptus secundarios, & secundarias formalitates procedat per se ex cognitione omnium, quæ Pater scit.

21. Reijcitur hæc doctrina, primò quia ut dictum est quæst. 47. in diuina cognitione non distinguuntur formaliter ex natura rei, neque virtualiter intrinsecè formalitates, quibus cognoscit essentiam, attributa, Personas, & possibilia; ergo responsio allata nititur supposito falso.

22. Reijcitur secundo: nam Verbum diuinum secundum suum conceptum primum est Verbum, quo Pater adæquatè, & comprehensiuè dicit essentiam; ergo procedit per se ex cognitione adæquata, & comprehensiuè diuinæ essentiae; sed cognitio adæquata, & comprehensiuè diuinæ essentiae includit cognitionem adæquatam, & comprehensiuam attributorum, Personarum, & omnium possibilibus; ergo Verbum secundum suum conceptum primum per se procedit ex cognitione adæquata, & comprehensiuè omnium horum. Probatur antecedens assumptum. Essentia enim diuina per se ipsam est adæquata ratio omnium attributorum, Personalitatem, & vniuersim omnium, quæ cum ipsa realiter identificantur; ergo non potest comprehendi, quin cognoscatur, quod est ratio adæquata omnium horum; sed non potest cognosci, quod est ratio adæquata omnium horum, quin hæc omnia adæquatè, & comprehensiuè cognoscantur; ergo non potest comprehendi diuinæ essentia, quin comprehendantur omnia, quæ cum ea realiter identifican-
tur,

ur, adeoque quin comprehendatur omnipotentia, quæ identificatur realiter cū essentia diuina; sed non potest comprehendere omnipotentia, quin comprehendatur omnia possibilia, quæ possunt per diuinam omnipotentiam fieri; ergo non potest comprehendere essentia diuina, quin eadem comprehensione comprehendatur attributa, Personæ, & omnia possibilia. Confirmatur: nam Pater æternus per comprehensionem diuinæ essentia beatificatur, & perfectissime quietatur; sed nisi eadem cognitione comprehenderet attributa, Personas, & omnia possibilia, non beatificaretur, nec quietaretur; ergo &c.

23. Secundo responderi potest iuxta sententiam aliorum, qui dicunt in diuina cognitione formalitates illas distingui solum ratione nostra. Ergo dici potest, quod etiam in Verbo proportionales formalitates distinguuntur ratione nostra; & sicut diuina cognitio ratione nostra primario constituitur solum per hoc, quod sit cognitio essentia, sic diuinum Verbum ratione nostra primario constituitur solum per hoc, quod Pater per Verbum dicat essentiam, ac proinde Verbum secundum suum conceptum primarium ratione nostra per se procedit solum ex cognitione essentia, licet secundum conceptus secundarios ratione nostra procedat etiam ex cognitione attributorum &c.

24. Reijcitur hæc responsio: nam diuina cognitio ratione nostra primario constituitur per hoc, quod sit cognitio diuinæ essentia, non qualiscunque, sed adæquata, & comprehensua; & proportionaliter Verbum diuinum constituitur per hoc, quod Pater per Verbum dicat essentiam, non utcunque, sed adæquatè, & comprehensiuè; ergo Verbum diuinum secundum suum conceptum primarium per se procedit ex cognitione diuinæ essentia, non qualiscunque, sed adæquata, & comprehensua; sed cognitio adæquata, & comprehensua diuinæ essentia includit comprehensionem attributorum, Personarum, & omnium possibilibus, ut ostensum est n. 22. ergo.

25. Ad 1. nego sequelam. Ad probationem distingo antecedens: quod procedit à cognitione intuitiua alicuius obiecti ut existentis, quæ cognitio sit imago talis obiecti ab ipso procedens, eo ipso procedit mediata à tali obiecto ut existente, concedo: quæ cognitio non sit imago, sed potius exemplar obiecti, nego; & nego consequentiam. Cognitio intuitiua creata semper est imago sui obiecti formalis, procedens ab obiecto tanquam ab exemplari; & quia quod procedit ab aliquo, procedit etiam mediata ab eo, à quo illud procedit, ideo in creatis quod procedit à cognitione intuitiua alicuius obiecti, procedit mediata à tali obiecto. Cognitio intuitiua, qua Pater videt Filium, & Spiritum Sanctum, non est imago, sed potius exemplar Filij, & Spiritus Sancti; & quia exemplar non procedit ab imagine, sed potius imago procedit ab

exemplari, cognitio intuitiua, qua Pater videt Filium, & Spiritum Sanctum, non procedit à Filio, & Spiritu Sancto, sed est principium quo Filius, & Spiritus Sanctus procedunt à Patre, ut dictum est num. 16; sed quod procedit à cognitione intuitiua obiecti, quæ non procedit à tali obiecto, non debet mediata procedere à tali obiecto; ergo non sequitur, quod Verbum procedat mediata à se ipso, & à Spiritu Sancto.

26. Dices: Pater per cognitionem essentialem intuitiua cognoscit Verbum existere; sed obiectum visum non potest procedere ex cognitione intuitiua, qua videtur existere; ergo &c.

27. Respondeo nego minorem. Si intelligamus cognitionem intuitiuam, quæ videat existere imaginem sui ipsius, obiectum visum procedit ex cognitione intuitiua, qua videtur existere; sed Pater videt Verbum existere ut imaginem Patris, qui est cognitio intuitiua Verbi; ergo non est mirum, quod Verbum procedat ex cognitione intuitiua, qua Pater videt Verbum existere. Difficultas hoc intelligendi prouenit ex eo, quod nostra cognitio intuitiua nunquam est exemplar, sed semper est imago obiecti visi, ideoque procedit ab obiecto, tanquam ab exemplari, obiectum autem, quod est exemplar, non procedit à sua imagine; sed Pater est cognitio intuitiua Verbi tanquam imaginis, ita ut ipse sit exemplar; ergo.

28. Ad 2. distingo eodem pacto maiorem; omnis cognitio intuitiua, quæ sit imago obiecti visi, supponit suum obiectum existere, concedo; quæ non sit imago, sed potius exemplar, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Cognitio, qua Pater videt Verbum, & Spiritum Sanctum existere, non supponit Verbum, & Spiritum Sanctum existere, sed à Verbo, & Spiritu Sancto supponitur existere.

29. Ad 3. concedo maiorem, & distingo minorem; in eo signo, in quo obiectum cognoscitur intuitiua cognitione, quæ sit imago talis obiecti, obiectum intelligitur, & supponitur existere, concedo; si cognoscatur cognitione, quæ non sit imago, sed exemplar obiecti, obiectum supponitur existere, nego; & nego consequentiam. Cum cognitio intuitiua est imago obiecti, obiectum supponitur existens ante signum, in quo est cognitio; at cum cognitio intuitiua non est imago, sed exemplar, obiectum non supponitur existere ante cognitionem, sed cognitio supponitur existere ante obiectum, siquidem exemplar supponitur existere ante imaginem. Cognitio igitur intuitiua, quæ est imago obiecti, videt obiectum ut existens in signo priori ad cognitionem; at cognitio intuitiua, quæ est exemplar obiecti, videt obiectum ut existens in signo posteriori ad cognitionem. Ad vitandas æquiuocationes aduertendum est, quod hæc propositio: In eo signo, in quo à Patre Fi-

lius,

lius, & Spiritus Sanctus videntur existere, existunt, potest habere duplicem sensum, alterum verum, alterum falsum. Primus sensus est, vt significetur visionem, qua videntur existere, esse in eodem signo, & non in signo priori ad existentiam Filij, & Spiritus Sancti, & hic sensus est falsus: nam cognitio illa, cum sit exemplar, existit in signo priori. Secundus sensus est, vt significetur Filium, & Spiritum Sanctum existere pro eo signo obiectiuo, pro quo videntur existere, & hic sensus est verus. Nam Pater videt Filium, & Spiritum Sanctum existere pro eo signo obiectiuo, pro quo verè existunt, quod tamen signum est posterius signo ipsius cognitionis. Explicatur exemplo. Hæc propositio: *Omnia existunt pro eo tempore, pro quo Deus videt illa existere*, potest habere duplicem sensum, alterum verum, alterum falsum. Si sensus sit, quod omnia existunt pro tempore obiectiuo, quo videntur existere, propositio est vera: si sensus sit, quod omnia existunt pro tempore, quo existit diuina cognitio, propositio est falsa: nam cognitio diuina existit ab æterno, & semper, creaturæ autem non existunt ab æterno, & semper. Idem proportionaliter dic in casu nostro. Debet etiam adueri, quod hic abstrahimus à questione, de qua egimus supra quæst. 97. vtrum prioritas hæc signorum sit vera prioritas originis, vel sit prioritas solum ratione nostra.

30. Ad 4. distingo maiorem: obiecti secundarij cognitio, quæ non includitur in cognitione comprehensiuâ obiecti primarij, non est per se requirita ad productionem Verbi, concedo; si includatur in cognitione comprehensiuâ obiecti primarij, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quia Verbum diuinum est Verbum adequatum, ad eius productionem per se requiritur cognitio adequata, & comprehensiuâ diuinæ essentiae, quæ eo ipso est etiam comprehensiuâ omnium obiectorum materialium, & secundariorum, attributorum nimirum, Personarum, & possibilem, vt dictum est n. 22.

31. Ad 5. distingo antecedens: etiam si Pater non intelligeret Spiritum Sanctum, ex eo præcisè quod intelligeret se ipsum, & Verbum, produceret Verbum inadæquatum, & imperfectum, concedo; Verbum adequatum, & perfectum, nego; & nego consequentiam. Si Pater non intelligeret Spiritum Sanctum, eo ipso non intelligeret adæquatè, & comprehensiuè diuinam essentiam; ergo non produceret Verbum adequatum, & perfectum: sed Verbum diuinum, de quo loquimur, ex suo conceptu primario est Verbum adequatum, & perfectum; ergo.

32. Ad 6. concedo sequelam, & nego illam esse absurdam, Cyrillus negat Patrem in priori sciuisse Filium ea prioritate, quam extorquere conabatur Eunomius, contra quem disputabat; sed Eunomius conabatur probare cognitionem Patris præcessisse natiuitatem.

Filij prioritate, qua cognitio consultatiua præcedit illa, de quibus vt liberè faciendis consultamus; ergo hanc tantum prioritatem negat Cyrillus, ideoque addit. *Nam si per prius consilio usus est, & per prius didicit Filium sibi futurum, spatia certe aliqua Filium præcedent. Sed ipse & temporis, & spatij creator est.*

33. Ad 7. nego sequelam. Ad imaginem non sufficit, vt procedat à cognitione intuitiua alicuius, sed requiritur, vt immediatè, vel mediatè procedat ab illo; sed Filius ita procedit à cognitione intuitiua Patris, vt immediatè procedat ab ipso Patre per actionem imitatiuam, vt explicatum est quæst. 98. at ita procedit à cognitione intuitiua Spiritus Sancti, & creaturarum possibilem, vt neque mediatè, neque immediatè procedat ab illis, vt dictum est num. 25. ergo Filius licet procedat à cognitione intuitiua Spiritus Sancti, & creaturarum possibilem, non est imago Spiritus Sancti, & creaturarum possibilem.

34. Ad 8. nego sequelam. Licet Filius procedat ex cognitione intuitiua creaturarum possibilem, tamen nullo modo procedit à creaturis possibilem vt cognitis, quia ex dictis num. 26. Filius procedit à cognitione intuitiua creaturarum possibilem, quæ cognitio, cum non sit imago, sed exemplar creaturarum, nullo modo procedit à creaturis possibilem.

35. Ad 9. nego antecedens. Iuxta mea, principia tradita quæst. 47. & 48. Logica diuinæ essentia per se ipsam est prima possibilitas omnium possibilem, & prima impossibilitas omnium impossibilem, ac proinde si eanis, & equus, aut aliud quodcunque possibile non esset possibile, non daretur essentia diuina, nec daretur cognitio comprehensiuâ essentiae diuinæ; ergo eo in casu Verbum non procederet, præsertim cum per se ipsum sit Verbum, quo Pater dicit esse possible omnia, quæ de facto sunt possible. Addo, quod si supponatur cum Vasquez 1. par. disp. 50. cap. 4. & disp. 104. cap. 4. 5. & 6. cognitionem, qua Deus cognoscit possibilitatem omnium possibilem, compleri per ipsam possibilitatem obiectiuam possibilem distinctam à Deo, Verbum per se procedit à cognitione possibilem secundum id, quod talis cognitio dicit in recto, non autem secundum id, quod dicit in obliquo. Cognitio enim diuina iuxta hanc sententiam includit in obliquo ipsam possibilitatem possibilem, à qua Verbum non procedit, vt magis explicabitur questione sequenti.

QVAESTIO CIV.

Virum Verbum procedat ex cognitione veritatum contingentium?

1. Videtur Verbum non procedere ex cognitione veritatum contingentium, primo, quia nullum necessarium procedit

cx

ex aliquo contingenti, & quod potuit non esse: sed hæc determinata scientia visionis, & media, qua Deus videt mundum existere, & quod si dedisset Iudæ aliam vocationem, non peccasset, est contingens, & potuit non esse in Deo; Verbum autem est necessarium, ac non potuit non esse; ergo.

2. Secundò ad producendum Verbum sufficit scientia, qua Deus comprehendat se ipsum; sed scientia visionis, & media, non requiritur ad hoc, vt Deus comprehendat se ipsum; ergo &c.

3. Tertiò in Deo actus liberi sunt posteriores actibus necessarijs; sed generatio Verbi est actus necessarius; ergo generatio Verbi est prior actibus liberis, ac proinde Verbum cum supponatur productum ante scientiam visionis, non potest procedere ex scientia visionis.

4. Respondeo duas esse sententias. Prima Valentia 1. par. quæst. 7. de Trinitate, puncto 2. docet Verbum procedere etiam ex scientia visionis, & media veritatum contingentium. Secunda communior Caietani 1. par. quæst. 34. art. 3. Bannez, Zumel, & Molina ibidem, Suarez lib. 1. de Trinitate, cap. 7. & lib. 11. cap. 2. Vasquez 1. par. disput. 143. cap. 1. & aliorum, quos refert, & ex parte sequitur Ruiz de Trinitate, disput. 63. sect. 4. docet Verbum non procedere ex scientia visionis, & media veritatum contingentium.

5. Dicendum primò: Verbum procedit ex cognitione omnium veritatum etiam contingentium. Probatur: nam Verbum procedit ex cognitione omnium, quæ Pater dicit per Verbum; sed Pater per Verbum dicit omnia, quæ scit, ac proinde omnes veritates etiam contingentes, puta mundum existere, Filium Dei esse incarnatum &c.; ergo.

6. Dicendum secundò: Verbum secundum id, quod dicit in recto, procedit ex cognitione contingentium secundum id, quod talis cognitio dicit in recto, non autem secundum id, quod talis cognitio dicit in obliquo.

7. Pro explicatione conclusionis suppono ex dictis quæst. 57. cognitionem, qua Deus cognoscit veritates contingentes, puta qua cognoscit mundum existere, importare in recto cognitionem necessariam Dei, & in obliquo applicationem aliquam contingentem, qua cognitio illa necessaria determinatur ad hoc, vt sit cognitio dicens mundum existere. Proportionaliter Verbum diuinum in quantum Pater per ipsum dicit etiã veritates contingentes, puta mundum existere, importat in recto entitatem necessariam ipsius Verbi, & in obliquo applicationem contingentem, qua ipsum Verbum necessarium determinatur ad hoc, vt per illud Pater dicat mundum existere. Hoc posito, assero Verbum secundum suam entitatem necessariam, quam importat in recto, procedere à cognitione contingentium secundum entitatem necessariam, quam dicit in re-

cto, non autem secundum illam applicationem contingentem, quam talis cognitio dicit in obliquo. Probatur: nam Verbum secundum suam entitatem necessariam non potest procedere ab aliquo contingenti; sed cognitio contingentium secundum applicationem, quam dicit in obliquo, est contingens; ergo Verbum secundum id, quod dicit in recto, & est necessarium, non potest procedere ab illo contingenti, quod cognitio contingentium, dicit in obliquo, ac proinde procedit à cognitione contingentium specificatiuè, & materialiter sumpta, non autem reduplicatiuè, & formaliter sumpta.

8. Dicendum tertiò: Verbum diuinum, secundum illam applicationem contingentem, quam importat in obliquo, procedit à cognitione diuina etiam secundum applicationem contingentem, qua determinatur ad cognoscendas determinatè veritates contingentes, puta mundum existere, Filium Dei esse incarnatum &c. Probatur: nam Verbum secundum applicationem contingentem, qua per illud Pater constituitur dicens veritates contingentes, procedit à Patre prout potente per Verbum dicere tales veritates, & dare illi talem applicationem: sed Pater constituitur potens dicere per Verbum veritates contingentes, per hoc, quod sciat veritates contingentes, & sit applicatus ad illas cognoscendas; puta constituitur potens dicere mundum existere, per hoc, quod sciat mundum existere, & sit applicatus ad cognoscendum mundum existere; ergo Verbum secundum illam applicationem contingentem procedit à Patre prout habente proportionalem applicationem contingentem. Confirmatur: nam Verbum omnia habet à Patre; ergo etiam applicationem contingentem ad dicendas veritates contingentes habet à Patre: sed Pater constituitur potens dare Verbo illam applicationem contingentem per hoc, quod sit proportionaliter applicatus ad cognoscendas illas veritates contingentes; ergo talem applicationem contingentem habet à Patre prout habente proportionaliter applicationem contingentem.

9. Ad 1. distingo maiorem: nullum necessarium secundum sua prædicata necessaria, procedit ab aliquo contingenti, & quod potuit non esse, concedo: nullum necessarium, secundum sua prædicata contingentia procedit ab aliquo contingenti, nego: & distingo eodem pacto minorem, & consequens. Non est absurdum, quod aliquid necessarium habens etiam aliqua prædicata contingentia, secundum talia prædicata contingentia procedat ab aliquo contingenti; sed Verbum diuinum ita est necessarium, vt habeat hoc prædicatum contingens, quod per illud dicantur etiam veritates contingentes; ergo non est absurdum, quod secundum hoc prædicatum contingens procedat à cognitione diuina, vt proportionaliter contingente.

10. Ad 2. distingo maiorem: ad Verbum pro-

producendum, in quantum per illud dicuntur totæ veritates necessariae, sufficit scientia necessaria, concedo: ad producendum Verbum, in quantum per illud dicuntur etiam veritates contingentes, sufficit scientia necessaria, nego maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Ad producendum Verbum, in quantum est Verbum, quo Pater dicit omnes veritates etiam contingentes, non sufficit cognitio necessaria, sed requiritur etiam cognitio contingens, scientia nimirum visionis, & media, ut explicatum est.

11. Ad 3. concedo maiorem, & distinguo minorem: generatio Verbi secundum se est actus necessarius, concedo: generatio Verbi ut applicati ad dicendas etiam veritates contingentes, est actus necessarius, etiam secundum modificationem, quam dicit in obliquo: nego: & distinguo eodem pacto consequens. Generatio Verbi, si sumatur secundum se præcisè, est actus necessarius, & præcedit actus liberos, adeoque scientiam visionis, & mediam, & non procedit ex scientia visionis, & media. At generatio Verbi prout modificata ad hoc, ut sit generatio Verbi ut dicentis etiam veritates contingentes, est contingens quoad talem modificationem, & non est prior actibus liberis, & scientia visionis, ac media, & procedit ex scientia visionis, & media, ut explicatum est.

12. Dices. Verbum ante scientiam visionis, & mediam intelligitur adæquatè generatum; ergo generatio Verbi non potest procedere à scientia visionis, & media.

13. Respondeo, distinguo antecedens: intelligitur adæquatè generatum generatione modificata ad hoc, ut sit generatio Verbi, ut dicentis etiam veritates contingentes, nego: generatione non modificata ad hoc, concedo: & distinguo eodem pacto consequens. Generatio Verbi ut modificata ad hoc, ut sit generatio Verbi, ut dicentis omnes omnino veritates etiam contingentes, non intelligitur ante scientiam visionis, & mediam. Pater enim antequam per scientiam visionis, & mediam, sciat veritates contingentes, non intelligitur generare Verbum ut dicens veritates etiam contingentes; ergo generatio ut sic modificata, procedit etiam ex scientia visionis, & media, ut explicatum est.

14. Debet adverti, quod proportionaliter ac Verbum procedit ex cognitione tum necessaria, tum contingenti, Spiritus Sanctus procedit ex amore divino tum necessario, tum libero.

QVAESTIO CV.

Verum actus notionales; hoc est generatio Verbi, & spiratio Spiritus Sancti sint voluntarij, ac liberi, vel potius necessarii, ac naturales?

S. Thom. q. 41. art. 2.

1. Videtur generatio Filij fuisse Patri simpliciter voluntaria, & libera, primo quia Pater à nullo potest cogi, vel necessitati ad generandum Filium; ergo voluntariè, & liberè genuit Filium, ita ut potuerit non generare, ut docuerunt Arriani, & Eunomiani.

2. Secundò ideo Pater voluntariè, & liberè condidit mundum, quia à nullo potuit cogi, vel necessitari ad mundum creandum; sed à nullo potuit cogi, vel necessitari ad generandum Filium, & producendum Spiritum Sanctum; ergo.

3. Tertiò Hilarius lib. de Synodis de Patre dicit: *Non naturali necessitate ductus genuit Filium*: Auctor etiam libri 65. questionum ad Orisium, qui habetur inter opera Augustini to. 4. videtur negare, quod Pater Filium genuerit necessitate; sed si non genuit naturali necessitate, genuit voluntariè, & liberè; ergo.

4. Quartò Filius procedit ut Verbum; sed omne Verbum procedit à dicente per voluntatem; ergo.

5. Quintò ad Coloss. 1. de Deo dicitur *Transiit in regnum Filij dilectionis suæ*; sed dilectio est voluntaria; ergo Filius procedit per dilectionem, & voluntatem. Io. 3. dicitur: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius*; ergo dilectio est ratio, quare Pater dedit Filio omnipotentiam, & omnia. Ioan. 5. dicitur: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ facit*; sed Pater eatenus demonstrat Filio omnia, quæ facit, quatenus creandarum rerum notitiam per generationem Filio communicat, ut explicant Chrysostomus, & Cyrillus Alexandrinus in commentario eius lo. ci, & lib. 1. Thesaur. cap. 8. ergo dilectio, ac proinde actus voluntatis est ratio, cur Pater generet Filium, & illi per generationem omnia communicet.

6. Sextò videtur, quod saltem Spiritus Sanctus cum procedat per voluntatem, procedat non naturaliter, sed voluntariè, & liberè, ut docuit Scotus in 1. dist. 10. qu. 1. & quodlib. 16. art. 2. & 3. Nihil enim est magis voluntarium, & liberum, quam amor; sed Spiritus Sanctus procedit ut amor; ergo.

7. Septimò Aristoteles 9. Metaph. cap. 5. text. 10. potentiam diuidit in rationalem, & irrationalem, ac docet has potentias per hoc differre, quod potentia irrationalis est determinata ad vnum, potentia rationalis non est determinata;

terminata ad vnum, sed est potentia plurium, & contrariorum; sed voluntas diuina est potentia rationalis; ergo non est determinata ad vnum, ac proinde non naturaliter, sed liberè spirat Spiritum Sanctum.

8. Octauo eidem potentie non possunt conuenire oppositi modi operandi, ac præsertim modus operandi naturaliter, & modus operandi liberè, qui maximè distant; sed diuine voluntati conuenit modus operandi liberè; ergo in productione Spiritus Sancti non potest illi conuenire modus operandi naturaliter.

9. Nonò libertas est maior perfectio operationis, quàm necessitas; sed productio Spiritus Sancti debet esse perfectissima operatio; ergo.

10. Decimo voluntas perfectissima circa obiectum perfectissimum, perfectissima cognitione sibi propositum, debet operari modo perfectissimo; sed perfectissimus modus operandi est liber; ergo voluntas diuina circa suum perfectissimum obiectum, hoc est circa diuinam bonitatem debet operari liberè, ac proinde Pater, & Filius debent liberè se mutuo diligere, & sic producere Spiritum Sanctum.

11. Vndecimò libertas est perfectio simpliciter simplex actus voluntatis; ergo actus voluntatis, quo producitur Spiritus Sanctus, debet esse liber.

12. Respondeo, quod non in eodem sensu Arriani, & Eunomiani dixerant processionem Filij, & Spiritus Sancti esse voluntariam, & liberam, in quo aliqui Scholastici docuerunt præsertim spirationem Spiritus Sancti esse voluntariam, & liberam. Arriani enim, & Eunomiani docuerunt productionem Filij, & Spiritus Sancti fuisse Patri voluntariam, & liberam libertate indifferentiæ, ita vt Pater cum posset non producere Filium, & Spiritum Sanctum, ex consilio, & deliberatione libera voluerit illos producere, sicut liberè condidit mundum, cum posset non condere, vt refertur Basilij lib. 2. contra Eunomium, Cyrillus lib. 7. & 4. Thesaur. & lib. 3. cap. 1. Hilarius libro 4. & 6. de Trinitate, Nazianzenus Orat. 35. quæ est 3. de Theol. Athanasius Dial. 1. de Trinitate contra Anomæum, & alij, quos refert Ruiz disp. 63. sect. 1. At plures Scholastici, licet cum omnibus Catholicis fateantur productionem Filij, & Spiritus Sancti non esse liberam libertate indifferentiæ, docuerunt non quidem generationem Filij, sed productionem Spiritus Sancti esse voluntariam, cum sit actus voluntatis, & esse liberam libertate à coactione, & ab omni necessitate extrinseca; siquidem Pater non coactus, sed volens, & nulla necessitate extrinseca necessitatus, sed ex perfectissima, & infinita inclinatione producit Spiritum Sanctum. In hoc sensu S. Thomas de Potentia quæst. 10. art. 2. ad 5. dicit: *Liberè Spiritus procedit, non tamen possibiliter*, hoc est ita, vt possit non procedere, sed ex necessitate. Hunc tamen modum dicendi S. Thomas videtur correxisse 1. parte, quæst. 41. art. 2. in-

corpore, & ad 3. vbi distinguens modum producendi naturalem à modo producendi voluntario per hoc, quod natura agit cum determinatione ad vnum, voluntas autem cum indifferentia ad vtrumlibet, concludit Spiritum Sanctum procedere naturaliter, quia procedit ita, vt non possit non procedere, ac proinde excludit, quod procedat liberè. In eodem sensu S. Bonaventura in 1. dist. 6. part. 1. quæst. 1. docet Filium procedere necessitate immutabilitatis, & addit: *hec autem necessitas non repugnat libertati, sed solum vertibilitati, qualis in Deo non est*. Demum in eodem sensu loquitur Scotus in 1. dist. 10. quæst. 1. & quodlib. 16. art. 2. & 3. vbi cum dixisset processionem Spiritus Sancti esse necessariam etiam ex parte principij, ita vt impossibile fuerit Spiritum Sanctum non procedere, tamen addit eandem processionem non esse naturalem, sed liberam. Videri potest Ruiz disp. 92. sect. 1. vbi refert etiam Alexandrum, Argentinam, & quosdam alios Scholasticos.

13. Vt resoluitur quæstio, primò probandum est contra Arrianos, & Eunomianos productionem Verbi, & Spiritus Sancti non esse voluntariam, & liberam libertate indifferentiæ, sed esse naturalem, & necessariam. Secundò examinandum est, vtrum, & quo pacto generatio, Verbi sit naturalis, vel voluntaria. Tertiò examinandum est, vtrum, & quo pacto spiratio Spiritus Sancti sit naturalis, vel voluntaria, & libera.

14. Dicendum primò: vterque actus notionalis, nimirum generatio Verbi, & spiratio Spiritus Sancti, est actus simpliciter necessarius, ita vt non potuerit non dari, ac proinde neuter est liber libertate indifferentiæ. Conclusio est de fide contra Arrianos, & Eunomianos. Probatur autem primo. Nam Filius, & Spiritus Sanctus sunt essentialiter Deus; sed de ratione Dei est, vt sit ens simpliciter necessarius; ergo Filius, & Spiritus Sanctus sunt ens simpliciter necessarius; sed de ratione entis necessarii est, vt non potuerit non existere; ergo Filius, & Spiritus Sanctus non potuerunt non existere; sed Filius non aliter potuit existere, quam per generationem, Spiritus Sanctus non aliter potuit existere, quam per spirationem: ergo tum generatio, tum spiratio est essentialiter necessaria, ita vt non potuerit non existere, ac proinde non sunt actus liberi libertate indifferentiæ.

15. Probatur secundò: nam sicut Deus non potest non comprehendere se ipsum, sic non potest non producere Verbum adæquatum sui; & sicut non potest non amare se ipsum infinito amore, sic non potest non producere amorem sui, hoc est Spiritum Sanctum.

16. Infertur primò Patrem non deliberare, neque consultare de Filio generando, & Patrem, & Filium non deliberare, neque consultare de Spiritu Sancto spirando, vt docuerunt Arriani, & Eunomiani. Ratio est, quia deli-

R r

beras

beratio; & consultatio datur solum de ijs, quæ possumus facere, vel non facere. Ideo Athanasius orat. 4. contra Arrianos dicit: *Verbum ex natura gignens non prædeliberat*; & non multo post: *Filius autem proprium germen substantie Patris non aliunde est, sed à Patre, idcirco de illo non deliberatur, ne & de se ipso deliberare videatur*. Quia nimirum cum Pater non possit esse sine Filio, eo ipso, quod Pater deliberaret de generando Filio, deliberaret de se ipso, vtrum nimirum deberet esse Pater.

17. Inferitur secundò cum Richardo de Sancto Victore lib. 7. de Trinit. cap. 1. in Deo non dari gratuitam donationem, qua Persona producat donet aliquid Personæ productæ. Ratio est, quia de ratione gratuitæ donationis est, vt donans donet aliquid, quod posset non donare; sed Persona producat quicquid dat Personæ productæ ita dat, vt non possit non dare; ergo &c. Verba Richardi sunt: *In diuina natura nihil est, vel esse potest ex operante gratia. Quod enim est ex sola operante gratia pro auctoris arbitrio potest esse, & non esse*. Idem insinuat Basilus lib. 4. contra Eunomium dicens, *Pater natura, non concessione*.

18. Dicendum secundò: vterque actus notionalis, nimirum tum generatio Verbi, tum spiratio Spiritus Sancti est naturalis.

19. Probatur primò ex Patribus. De generatione igitur Verbi Alexander Episcopus Alexandrinus in Epist. ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum dicit: *Illud ex vtero ante Luciferum genui te, perspicue ostendit naturalem, quæ in Filio est, paternæ generationis proprietatem*. Athanasius Tract. 2. contra Arrianos dicit: *Filius esse ex Patre naturale genimen, & naturalem factum, & partum*. Basilus lib. 2. contra Eunomium dicit: *Generationem esse Patri connaturalem*; & lib. 5. *Patrem natura, & essentialiter genuisse*. Epiphanius in Ancorato dicit: *Genuit natura supra voluntatem*. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri propè finem: *Generatio Patris sicut actiua est, sic naturalis*. Vide alios Patres apud Ruiz disp. 92. sect. 3.

20. De spiratione Spiritus Sancti Cyrillus Alexandrinus lib. 13. Thesauri cap. 2. dicit: *Spiritus Sanctus naturaliter ex Patre in Filio est*; & infra dicit: *Spiritum Sanctum ex ipsa essentia naturaliter emissum*; & Dialog. de Trinit. lib. 2. dicit: *Spiritum Sanctum naturaliter profundi à Deo Patre per Filium*.

21. Probatur secundò conclusio ratione desumpta ex S. Thoma 1. parte quæst. 41. art. 2. in corpore, & ad 3. Nam modus agendi proprius naturæ consistit in hoc, vt operatio procedat à principio intrinseco determinato ad vnum, & propterea necessariò operante; sed tum generatio Verbi, tum spiratio Spiritus Sancti procedit à principio intrinseco determinato ad vnum, & propterea necessariò operante; ergo. Confirmatur: nam si aliquid obstarat, quo minus spiratio Spiritus Sancti esset naturalis, maximè quia esset actus voluntatis; sed hoc non obstat; nam actus voluntatis diui-

di solet in naturalem, & liberum, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 1. & 2. quem sequuntur communiter Philosophi, & Theologi, qui consequenter dicunt amorem vltimi finis, hoc est boni vt sic, & beatitudinis in comuni esse naturalem; ergo &c.

22. Quæres primò, vtrum aliqua speciali ratione sit naturalis generatio Verbi, qua non est naturalis spiratio Spiritus Sancti.

23. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia generatio Verbi est actus intellectus; sed actus intellectus ex suo genere procedit à principio proximo determinato ad vnum, & sic procedit naturaliter; ergo generatio Verbi est naturalis etiam ex ratione generica actus intellectus, ac non solum ex ratione specifica talis actus. E conuerso spiratio est actus voluntatis; sed actus voluntatis ex suo genere abstrahit ab hoc, quod procedat à principio proximo determinato ad vnum, vel indifferenti, ac proinde ex suo genere non est naturalis, sed præscindit à naturali, & libero, & est solum naturalis ex ratione specifica talis actus; ergo. Quia generatio Verbi est naturalis etiam ex genere, spiratio Spiritus Sancti non est naturalis ex genere, idcirco plures Scholastici, quos refert Ruiz disp. 92. sect. 3. num. 11. distinguunt generationem à spiratione per hoc, quod generatio sit per modum naturæ, spiratio per modum voluntatis.

24. Quæres secundò, quare, & in quo sensu plures Patres, & Theologi negant Verbum generari necessariò.

Respondeo duplicem esse necessitatem, alia est necessitas perfectionis, immutabilitatis, & determinationis intrinsecæ ad bonum; alia est necessitas imperfectionis, mutabilitatis, violentiæ, & coactionis ab extrinseco etiam contra naturalem inclinationem. Patres dum negant Verbum, & Spiritum Sanctum procedere necessariò, non negant primam necessitatem perfectionis, sed secundam imperfectionis. Si verò quæratur vltius, quare plures Patres videantur absolutè negasse necessitatem diuinarum productionum, cum illam potuerint in vero sensu concedere; respondeo illam negasse ex duplici ratione. Prima est, quia necessitas vt plurimum in sacris litteris, & apud profanos auctores sumitur prout dicit imperfectionem. Secunda est, quia cum Arriani, & Eunomiani, contra quos Patres disputabant, necessitatem sumerent in malam partem, & prout importat imperfectionem violentiæ, & coactionis contra inclinationem, & voluntatem patientis, Patres respondentes hæreticis sumebant necessitatem in sensu hæreticorum pro necessitate imperfectionis: necessitatem autem perfectionis appellabant nomine non ambiguo naturalitatis, ac processiones diuinas dicebant naturales. Cum igitur hæretici arguebant: vel Pater genuit Filium ex voluntate, vel ex necessitate: si ex voluntate; ergo potuit non generare, & antequam generaret, deliberauit, an-

gene-

generaret: si ex necessitate, quis eum coegit, & quomodo genuit inuitus? Patres respondabant, Patrem neque genuisse Filium ex voluntate, libera nimirum, neque ex necessitate, coactionis videlicet, de qua loquebantur hæretici, sed modo altiori, & perfectiori, hoc est naturaliter, & ex natura: & retorquebant argumentum, quærentes, vtrum Pater sit Deus, sit bonus, & misericors ex voluntate, libera nimirum, vel ex necessitate? Sicut ergo Pater est Deus non ex libera voluntate, neque ex necessitate coactionis, sed modo superiori, hoc est ex natura, & naturaliter, sic genuit Filium, non ex libera voluntate, neque ex necessitate coactionis, sed modo quodam altiori, hoc est ex natura, & naturaliter. Sic respondet retorquendo allatum argumentum Athanasius Orat. 4. contra Arrianos, dicens. *Dicant nobis, quod bonus est, & misericors Deus, ex voluntate ne illi accidit, an non? &c.* Consonat Athanasio Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri cap. 8. dicens. *Quid prohibet nos quoque ipsos interrogare, vtrum bonus, misericors, sanctus, volens Pater sit, an præter voluntatem?* Eadem retorsione vtitur Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 20. Ideo Concilium Syrmiense Can. 25. & 26. & in eorum expositione Hilarius lib. de Synodis post medium, decernunt nec voluntate Patris, nec necessitate naturali, cum nollet generare, genitum esse Filium: & Concilium Toletanum vndecimum in Confessione Fidei, dicit: *Deus Pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est, quia nec necessitas in Deum cadit, nec voluntas sapientiam præuenit.* Videri potest Ruiz disp. 92. sect. 4. ex quo hæc testimonia desumpta sunt.

25. Dicendum tertio cum Magistro in 1. dist. 6. S. Thoma eadem dist. & 1. p. quæst. 41. art. 2. Alberto, Alexandro, S. Bonaventura, & alijs communiter, quos refert Ruiz disp. 93. sect. 1. num. 6. Generatio Filij non est voluntaria voluntate præcedente, tanquam principio generandi *ut quod*, sed est voluntaria voluntate concomitante. Probatur prima pars: nam vel loquimur de voluntate essentiali, vel de voluntate notionali: neutra est principium *ut quod* generandi Filium; ergo. Probatur minor: nam voluntas essentialis identificatur cum Filio, adeoque non est principium *ut quod* Filij, eiusque generationis passiva. Principium enim *ut quod* realiter distinguitur ab eo, cuius est principium. Voluntas etiam notionalis non est principium *ut quod* Filij; nam Filius personaliter est actus intellectus; sed principium *ut quod* actus intellectus non est voluntas notionalis, sed intellectus notionalis, qui supra naturam addit aliquid, quod est in linea intellectus, non autem in linea voluntatis; ergo &c. Probatur iam secunda pars: nam, sicut Pater ita est Deus, ut velit esse Deus, sic ita generat Filium, ut velit Filium generare; ergo generat volens voluntate comitante. Dixi voluntatem non esse principium *quod* Filij, eiusque generationis: nam iuxta doctrinam

nam traditam quæst. 100. essentia est potentia generatiua, ac principium *quo* Filij, eiusque generationis passiva; sed voluntas essentialis est omnino idem cum diuina essentia; ergo in sensu reali voluntas, seu volitio essentialis est principium *quo* ipsius Filij, eiusque generationis passiva.

26. Inferitur, quo pacto conciliandi sint Patres, qui aliquando negant generationem Filij esse voluntariam, aliquando id concedunt. Dicendum, quod negant generationem Filij esse voluntariam in eo sensu, in quo Arriani, & Eunomiani asseriebant illam esse voluntariam; sed Arriani, & Eunomiani asseriebant generationem Filij fuisse voluntariam voluntate antecedenti etiam tempore, deliberata, & libera, ita ut Pater potuerit non generare, sicut potuit mundum, & creaturas non condere; ergo Patres negant generationem Filij esse voluntariam voluntate antecedenti tempore, deliberata, & libera. In hoc sensu loquuntur plures Patres, & apud Hilarium de Synodis Concilium Syrmiense contra Photinum definit: *Si quis voluntate Dei tanquam unum aliquid ex creaturis Filium factum esse dicat, anathema sit.* Aliquando etiam Patres negant Filium generari voluntarie in eo sensu, in quo Spiritus Sanctus spiratur voluntarie, ita ut sit personaliter actus voluntatis, & eius principium *quod* sit voluntas notionalis, ut dicitur numero 27. & 28. Idem Patres dum dicunt Filium voluntarie, & volente Patre, genitum, significant, illum fuisse genitum voluntate concomitante, quæ non esset principium *quod* generationis. In hoc sensu Cyrillus Alexandrinus Dial. de Trinit. lib. 2. loquens de generatione Verbi dicit: *Est enim non absque voluntate, quæ est naturaliter, cum voluntas cum natura eius simul currat, ut sit quæ est.* Et paulo post: *Fuerit autem simul Pater Deus, & volens, ut esset Pater:* Iustinus Dial. cum Triphone dicit, *Filium volente Patre procreatum.* Adde aliquos Patres insinuare voluntatem esse principium *quo* generationis Verbi. Hilarius enim lib. 3. de Trinit. dicit. *Unigenitum procreauit omne, quod Deus est, per charitatem, atque virtutem natiuitati eius impartitus;* ergo significat totum Patrem genuisse Filium per charitatem, seu amorem, tanquam per principium *quo*.

27. Dicendum quarto: spiratio Spiritus Sancti est voluntaria, voluntate non solum concomitante, sed etiam aliquo pacto antecedenti, quæ nimirum voluntas sit principium *quod* Spiritus Sancti, & spirationis passiva; non tamen est voluntaria sicut creatio mundi, & productio creaturarum est voluntaria.

28. Probatur prima pars: nam cum Spiritus Sanctus ex sua proprietate personali sit amor, & sit in linea voluntatis, eius principium *ut quod* est in linea voluntatis, & est voluntas notionalis; ergo. Probatur iam secunda pars: nam creatio mundi, & productio creaturarum est ita voluntaria, ut voluntas sit principium potens mundum creare, & non

create, ac liberè se determinans ad creandum; sed voluntas notionalis ita est principium Spiritus Sancti, vt non possit non spirare Spiritum Sanctum; ergo spiratio non est ita voluntaria, sicut creatio, & productio creaturæ.

29. Dicendum quintò: licet spiratio Spiritus Sancti sit voluntaria, tamen non est simpliciter, & propriè libera. Probat: nam ad actum simpliciter, & propriè liberum non sufficit, vt sit voluntarius, sed requiritur, vt procedat à principio indifferenti, & non determinato ad talem actum producendum; sed Spiritus Sanctus licet procedat voluntariè, tamen procedit à principio determinato ad ipsum producendum; ergo. Quia tamen Spiritus Sanctus procedit vt actus voluntatis, & vt liber ab omni necessitate violentiæ, & coactionis, & ab omni necessitate extrinsecæ, ideo Scotus, & quidam alij relati num. 12. dixerunt Spiritum Sanctum procedere liberè, non quidem libertate indifferentiæ, sed libertate actus voluntarij procedentis sine vlla necessitate extrinsecæ. Sed hic modus loquendi communiter rejicitur.

30. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Inter actum necessarium, necessitate imperfectionis, & coactionis, & actum voluntarium, & liberum libertate indifferentiæ datur medium, hoc est actus naturalis, & necessarius necessitate perfectionis, immutabilitatis, & determinationis ad vnum; ergo ex eo, quod Filius non procedat necessario necessitate coactionis, & imperfectionis, non sequitur, quod procedat liberè libertate indifferentiæ, & contingentiæ, sed dicendum cum Sanctis Patribus, quod procedit naturaliter, & necessario necessitate perfectionis, & determinationis ad vnum, vt explicatum est num. 24.

31. Ad 2. distinguo maiorem; ideo Pater voluntariè, & liberè condidit mundum, quia à nullo extrinsecò potuit cogi, vel necessitari ad mundum creandum, neque ex sua natura fuit intrinsecè determinatus ad mundum condendum, concedo; quia præcisè à nullo extrinsecò potuit cogi, vel necessitari ad mundum condendum, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ideo Pater liberè condidit mundum, quia non solum ab extrinsecò non potuit cogi, & necessitari ad mundum condendum, sed neque ex sua natura fuit determinatus ad mundum condendum; sed Pater ex sua natura determinatur ad se communicandum communicatione perfecta per intellectum, & voluntatem, per generationem Verbi, & spirationem Spiritus Sancti; ergo Filium, & Spiritum Sanctum producit naturaliter, & necessario, non autem voluntariè, & liberè.

32. Ad 3. Hilarius, & alij Patres, dum dicunt Filium non esse genitum naturali necessitate, loquuntur de necessitate imperfectionis, puta qua corpora animalium natu-

rali necessitate generant vermes: at non negant Filium fuisse genitum naturali necessitate perfectionis, & immutabilitatis, vt explicatum est num. 24.

33. Ad 4. nego minorem. Verbum productum ab Angelo e. g. comprehendente se ipsum, producitur ab Angelo, non per voluntatem præsertim liberam, sed purè per intellectum, & naturali necessitate; ergo non est mirum, quod Pater producat Verbum, quo dicit adequatè se ipsum, non per voluntatem præsertim liberam, sed naturali necessitate per intellectum notionalem, vt explicatum est num. 25.

34. Ad 5. Verbum vocatur Filius dilectionis, non quia dilectio sit principium vt quod generatiuum Verbi, sed quia generatur ita, vt sit summè dilectum concomitanter, & etiam ita vt dilectio essentialis sit principium vt quo generandi Verbum. In eodem sensu intelligenda sunt loca Scripturæ. Videri potest Ruiz disp. 93. sect. 3.

35. Ad 6. distinguo maiorem: nihil est magis voluntarium, & liberum libertate indifferentiæ, quam amor, quo quis amat se ipsum, & suum vltimum finem, nego; quo quis amat cætera, transeat; & distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Amor, quo quis amat se ipsum, & suum vltimum finem, est naturalis, & non liber libertate indifferentiæ; ergo non est mirum, quod Spiritus Sanctus, cum procedat vt amor, quo Deus amat se ipsum vt obiectum formale, procedat necessario, & non liberè libertate indifferentiæ. Quo pacto procedat naturaliter simul, & voluntariè, explicatum est n. 27.

28. & 29.

36. Ad 7. distinguo maiorem: Aristoteles potentiam rationalem distinguit ab irrationali per hoc, quod potentia irrationalis est determinata ad vnum, potentia rationalis circa aliqua sua obiecta non est determinata ad vnum, concedo; circa omnia sua obiecta non est determinata ad vnum, nego; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Non requiritur ad potentiam rationalem, vt circa nulla obiecta sit determinata ad vnum, sed sufficit, vt circa aliqua obiecta non sit determinata ad vnum; e. g. licet voluntas sit potentia rationalis, tamen circa vltimum finem est determinata ad vnum, ac non potest illum non amare; ergo non est mirum, quod voluntas diuina sit determinata ad amandam bonitatem infinitam, & sic ad producendum Spiritum Sanctum, licet non sit determinata ad amandas efficaciter creaturas, & sic possit illas liberè creare, vel non creare.

37. Ad 8. distinguo maiorem; eidem potentia circa idem obiectum non possunt conuenire oppositi modi operandi, concedo; circa diuersa, & opposita obiecta, nego; distinguo eodem pacto minorem, & consequens. Eidem potentia circa obiecta diuersa possunt conuenire oppositi modi operandi, eo pacto, quo

quo intellectui circa aliqua obiecta conuenit modus assentiendi certus, circa alia modus assentiendi dubitatus; ergo non est mirum, quod voluntati diuinæ circa obiecta creata conueniat modus volendi liber, & sine determinatione ad vnum, at circa Spiritum Sanctum, qui est obiectum diuinum, conueniat modus volendi naturalis, ac necessarius, & cum determinatione ad vnum.

38. Ad 9. distinguo maiorem; libertas circa bona contingentia finita, & imperfecta est maior perfectio operationis, quam necessitas, concedo; circa bonum infinitum, & necessarium, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut est maior perfectio operationis, vt circa bona contingentia, & finita, sit libera potius, quam necessaria, sic est maior perfectio eiusdem, vt circa bonum infinitum, & circa infinitam communicationem, sit necessaria potius, quam libera; sed productio Spiritus Sancti est bonum infinitum, & infinita communicatio: ergo voluntas, & operatio spirandi debet esse necessaria, & non libera libertate indifferentiæ, de qua loquimur.

39. Ad 10. concedo maiorem, & distinguo minorem; perfectissimus modus operandi circa obiecta, & bona finita, & contingentia est liber; concedo; circa bonum infinitum, nego; & nego consequentiam. Perfectissimus modus operandi circa bona finita est liber: at perfectissimus modus operandi circa bonum infinitum, & infinitam communicationem, est necessarius; ergo vt Pater circa infinitam communicationem, qua se communicat Filio, & Spiritui Sancto, habeat perfectissimum modum operandi, debet Filium, & Spiritum Sanctum producere necessario, & non liberè.

40. Ad 11. distinguo antecedens; libertas circa obiectum, & bonum finitum est perfectio simpliciter simplex actus voluntatis, concedo; circa bonum infinitum, & infinitam communicationem, nego; & distinguo eodem pacto consequens. Est perfectio simpliciter simplex, vt actus voluntatis sit liber circa bona creata, & finita, & sit necessarius circa infinitum bonum, & infinitam communicationem; ergo actus diuinæ voluntatis debet esse liber circa bona creata, & finita, ac debet esse necessarius circa productionem Spiritus Sancti, quæ est infinitum bonum, & infinita communicatio diuinæ bonitatis.

QVÆSTIO CVI.

Verum Spiritus Sanctus procedat non solum à Patre, sed etiam à Filio?

S. Th. 9. 36. a. 2.

1. **V**idetur procedere solum à Patre, non autem à Filio: primo quia Ioan. 13. dicit Christus; *Cum venerit Paracletus, quem ego*

mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ergo cum Christus dixerit Spiritum Sanctum procedere à Patre, & non dixerit procedere à Filio, significauit, quod procedit solum à Patre.

2. Secundò Patres præsertim Græci sapè dicunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, ac non faciunt mentionem Filij; ergo existimant procedere à solo Patre.

3. Terriò Concilium Ephesinum, cum lectum fuisset quoddam Symbolum Nestorianorum, in quo dicebatur Spiritum Sanctum non procedere à Filio, quoad hoc non contradixit; ergo quoad hoc tacitè approbavit doctrinam illius Symboli.

4. Quartò Dionysius lib. de diuinis nominibus, cap. 2. dicit: *Solus fons consubstantialis diuinitatis est Pater*; ergo negat Filium esse fontem, seu principium vllius Personæ diuinæ.

5. Quintò Nazianzenus orat. 24. ad Episcopos, qui venerant ex Ægypto, post medium dicit: *Si quidquid Pater habet, idem, excepta causa, Filius est, quidquid etiam Filius habet, idem quoque Spiritus Sancti est, si filiationem exceperis*; ergo Filius non habet à Patre, vt sit causa, seu principium Spiritus Sancti.

6. Sextò Athanasius in quæstionibus de natura Dei dicit: *solum Patrem esse causam duobus*; ergo negat Filium esse causam, seu principium Spiritus Sancti.

7. Septimò Basilus Epist. 45. ad Gregorium Nyssenum circa medium ait: *Nullam secundum propriam notionem communionem Filius habet cum Patre*; Et Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentia, & Hypostaseos ante medium dicit: *Nullam, quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne, communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu Sancto*; sed si Filius spiraret Spiritum Sanctum, conueniret cum Patre in nota siue notione spiratoris; ergo.

8. Octauò Damascenus lib. 1. de fide cap. 11. dicit: *Spiritum per Filium esse dicimus, sed ex Filio Spiritum Sanctum non dicimus*; ergo &c.

9. Nonò Maximus in Epistola ad Marinum dicit: *Latinos Patres non concedere Filium esse causam, hoc est principium Spiritus Sancti*; ergo &c.

10. Decimò in Symbolo Constantinopolitano, cum agitur de Spiritu Sancto, dicitur, *Qui à Patre procedit*, & non fit mentio Filij; & Leo tertius, vt testatur Magister in 1. distinct. 11. cap. 2. posuit in tabula argentea post altare Sancti Pauli Symbolum Constantinopolitanum sine illo additamento *Filioque*; ergo &c.

11. Vndecimò, si Filius esset principium Spiritus Sancti, esset similior Patri Filius, quam Spiritus Sanctus: nam Filius esset similis Patri non solum in natura, sed etiam in spiratione actiua; Spiritus Sanctus esset similis Patri solum in natura.

12. Duo-

318 De processione Spiritus Sancti à Filio.

12. Duodecimò, vt obijcit Theophilactus in cap. 3. Ioannis, Pater est sufficiens principium Spiritus Sancti; ergo ad producendum Spiritum Sanctum non indiget auxilio Filij.

13. Decimotertiò, vt idem obijcit, vnum debet procedere ab vno tantum principio, non à duobus; sed Spiritus Sanctus vnus est; ergo.

14. Respondeo, quod circa processionem Spiritus Sancti duo fuerunt errores contrarij. Aliqui enim dixerunt Spiritum Sanctum procedere à solo Filio, non autem à Patre: alij existimauerunt illum procedere à solo Patre, non autem à Filio. Eunomius ergo dicens Spiritum Sanctum non esse Deum, sed creaturam, docuit Spiritum Sanctum non à Patre, sed à Filio solo procedere, & esse facturam solius Filij, vt refert Basilius lib. 1. contra Eunomium propè finem, ac fortasse eundem errorem docuit Macedonius, ideoque contra Macedonium, & Eunomium Concilium Constantinopolitanum primum definiuit, Spiritum Sanctum esse verum Deum, & à Patre procedere, & Symbolo Nicæno, quod de Spiritu Sancto nihil aliud dixerat, quam *Credo & in Spiritum Sanctum, addidit Dominum, & viuificantem ex Patre procedentem &c.* S. Thomas 1. parte quæst. 36. art. 2. ad 3. ex eoque Ruiz disp. 67. art. 1. num. 3. existimat primos, qui cum confiterentur diuinitatem Spiritus Sancti, negarint eum procedere à Filio, fuisse Nestorianos, qui circa annum 430. in quodam Symbolo, seu Confessione fidei oblata Concilio Ephesino, quæ extat in eius actis Tom. 2. cap. 37. vel 31. postquam dixerunt Spiritum Sanctum ex Deo procedere, subiunxerunt: *Filium tamen non nominamus, neque per Filium substantiam suam sortitum esse dicimus.* Eundem errorem circa eadè tempora fecutus est Theodoretus, qui scribens pro Nestorianis contra Anathematismos Cyrilli, in responsione ad 9. Anathematismum dicit: *Proprium Spiritum Filij siquidem vt eiusdem natura, & à Patre procedentem dixit Cyrillus, simul & nos confitemur, & vt piam vocem amplectamur: si verò tanquam ex Filio, vel per Filium suam habere essentiam dicit, vt blasphemiam hanc, & sicut impium abijcimus.* Cum autem hic error inter Græcos serperet circa annum 760. Pipinus Concilium provinciale conuocari curauit in Gallia in villam Gentiliacensem, vt quæstionem de Trinitatè inter Græcos, & Latinos componeret, vt refert Amonius, siue Annonius lib. 4. de Gestis Francorum cap. 67. & Ado Viennensis, qui dicit hanc quæstionem fuisse de processione Spiritus Sancti à Filio, & Abbas Vspersensis in Chronico. Iterum cum eadem quæstio fuisset excitata à quodam Ioanne monacho anno circiter 808. missis Romam legatis, coactum fuisse Concilium à Carolo Magno refert Annonius lib. 4. cap. 95. Circà annum deinde 860. Photius Patriarcha Constantinopolitanus, Synodo in Græcia celebrata, & li-

bro edito, defendit Spiritum Sanctum à solo Patre, non autem à Filio procedere, vt refert Hugo Aetherianus lib. 2. de Hæresibus, quas Græci deuoluunt in Latinos, qui liber extat Tom. 9. Bibliothecæ Patrum. Quadraginta, post Photium annis anno circiter 900. Theophilactus in cap. 3. Ioannis eundem errorem docuit: ac circa idem tempus Dialogos S. Gregorij in linguam Græcam translato fuisse, omiſsa illa particula, *Filioque*, refert Paulus Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij, cap. 75. Denique anno 1050. Michael Patriarcha Constantinopolitanus fretus patrocinio Imperatoris Græci, Pontificem Romanum cum suis excommunicatum esse proclamare cepit, eo quod in Symbolo addidissent illud *Filioque procedu*, vt refert Leo IX. in Epist. ad Constantinum Monomachum, Anselmus Epistola de processione Spiritus Sancti, & Sigibertus anno 1054. ab eoque tempore Græci à Latinis aperto Schismate defecerunt, ac Armeni, & Rhuteni eundem errorem secuti sunt, vt constat ex Præfatio lib. 1. cap. 67. n. 10. & lib. 16. cap. 4.

15. Contra hunc errorem de fide est Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio. Probat per primo ex Scripturis. Primo Christus Io. 16. loquens de Spiritu Sancto dixit, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*, & vt colligitur ex contextu, & vt explicat Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophilactus, & Eutymius in eum locum, sensus est, *accipiet scientiam*; ergo Spiritus Sanctus accipit à Filio scientiam; sed non potest accipere à Filio scientiam, nisi procedat à Filio; ergo &c. Secundò eodem capite Christus dicit: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis.* Ex hoc loco sic arguitur. Omnis missio aut est per imperium, vt cum mittitur seruus à domino; aut per consilium, vt cum ægiotus mittitur à medico sapientiore ad sumendum aliquod remedium; aut per naturalem productionem, eo pacto, quo arbores mittunt radices; sed Spiritus Sanctus non mittitur à Filio per imperium, vel consilium; ergo mittitur per naturalem productionem. Confirmatur, nam Pater, quia non procedit, non dicitur mitti; ergo si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non mitteretur à Filio. Tertiò ad Rom. 8. & ad Galat. 4. Spiritus Sanctus vocatur Spiritus Christi, & Spiritus Filij; sed non esset Spiritus Filij, nisi spiraretur à Filio; ergo &c. Confirmatur: nam Christus Ioan. 20. *insufflauit, ac dixit: accipite Spiritum Sanctum*; sed vt explicat Augustinus lib. 3. contra Maximinū c. 14. hac ceremonia significauit Spiritum Sanctum à se procedere, proportionaliter, ac Spiritus seu status hominis procedit ab ore hominis; ergo &c.

16. Secundò probatur ex Concilijs, & Patribus. Cyrillus Alexandrinus in Epistola, quam nomine Synodi Alexandrinæ scripsit ad Nestorium, dicit. *Spiritus appellatus est veritas, & veritas Christus est; unde & ab ipso simili-*
ter

ter sicut ex Patre procedit; sed hæc epistola habetur in Concilio Ephesino tomo 1. cap. 14. & approbata fuit tum ab ipso Ephesino, tum à quarta Synodo, actione quinta, tum à quinta Synodo, actione vltima, tum à sexta Synodo, actione 17. tum à septima Synodo, actione septima, vbi Symbolum Nicænum legitur cum illa additione, *qui à Patre, Filioque procedit*, vt videre est apud Ruiz, disp. 67. sect. 6. num. 5. & apud Baronium anno 787; ergo hæc veritas approbata fuit à quinque Concilijs Generalibus Græcorum; & deinde definita fuit in pluribus Concilijs occidentalibus, nimirum in Lateranensi sub Innocentio III. in Lugdunensi sub Gregorio X. & in Florentino sub Eugenio IV. consentientibus simul Græcis, & Latinis, in quo à doctissimis Græcorum ostensum est, omnes Patres Græcos, qui floruerunt ante Schisma, vnanimiter cum omnibus Latinis docuisse, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio. Testimonia Patrum, & alia, plura ad hanc materiam spectantia videri possunt apud Bellarm. Tom. 1. contr. 1. 2. de Christo cap. 24. & 25. apud Ruiz disp. 67. sect. 6. 7. & 8. & apud Bessarionem in Oratione pro vniõne, quæ habetur post vltimam sessionem Concilij Florentini, cap. 5. 6. 7. & 8. vbi etiam ostendit Patres Græcos non solum dixisse Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, sed etiam à Patre, & Filio, & quod per particulam *per*, & ex significarunt idem, nimirum quod procedit à Patre, qui est principium sine principio, per Filium, qui est principium de principio, sicut est Deus de Deo.

17. Tertiõ probatur rationibus fundatis in Scriptura. Prima ratio, qua vtitur Athanasius, & Cyrillus, & ex Latinis Anselmus, quorum testimonia refert S. Thomas opusc. 1. est: omnia, quæ habet Pater, habet Filius, exceptis iis, in quibus relatiuè opponuntur, qualia sunt esse Patrem, & esse Filium, iuxta illud Christi Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*; & Ioan. 17. *Omnia tua mea sunt*; sed Pater habet hoc, vt spiret Spiritum Sanctum, & in hoc non opponitur relatiuè Filio; ergo etiam Filius habet hoc, vt spiret Spiritum Sanctum.

18. Secunda ratio est, quia ex dictis quæstione 88. num. 6. Spiritus Sanctus, cum sit amor, debet procedere à Verbo.

19. Tertia est, quia ordo diuinarum personarum postulat, vt sicut secunda persona procedit à prima, sic tertia procedat à prima, & secunda, alioquin non tam esset tertia, quam essent duæ secundæ Personæ.

20. Quarta, & præcipua ratio, qua vtitur S. Thomas 1. parte quæst. 36. art. 4. est: si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur à Filio, quod est hæreticum, & destruit Trinitatem Personarum diuinarum, &c. Hæc ratio magis explicabitur infra quæst. 108. in qua examinabimus quæstionem ortam ex occasione huius rationis, an scilicet si Spiritus Sanctus non procederet à Filio,

distingueretur ab ipso.

21. Quæres, quo tempore, & ex qua causa Symbolo Nicæno, vel potius Constantinopolitano fuerit addita particula *Filioque*?

22. Respondeo, quod Gasia Loaisa in notis ad Concilium Toletanum tertij Verbo *Item fides sancta*, existimauit particulam illam positam fuisse in Symbolo ab ipso Concilio Constantinopolitano. Stanislaus autem Socoluius in annotationibus ad cap. 1. censuræ Orientalis Ecclesiæ factæ ab Ieremia Patriarcha Constantinopolitano, docuit particulam illam additam à Damaso Papa in Concilio Romano, in quo confirmauit Concilium Constantinopolitanum.

23. Reijcitur vtraque opinio; nam si particula illa posita fuisset in ipso Concilio Constantinopolitano, vel fuisset addita à Damaso confirmante Concilium Constantinopolitanum, esset moraliter impossibile, vt in nullo ex innumeris exemplaribus Symboli Constantinopolitani, quæ habentur tum in ipso Concilio Constantinopolitano, tum in pluribus alijs Concilijs, legeretur ea particula; & vt Theodoretus, alijque antiqui Historici propinqui illorum temporum, nullam fecissent mentionem huius additionis.

24. Ruiz disp. 67. sect. 5. num. 6. existimat additionem illam factam fuisse post sextam Synodum, & ante septimam, quæ est secundum Concilium Nicænum, licet non constet de certo, ac determinato anno. Reijcitur: nam vt ipsemet Ruiz refert, in Concilio Toletano 8. quod celebratum fuit anno 653. recitatum fuit Symbolum cum illa additione; sed sexta Synodus celebrata fuit circa annum 680. triginta propè annis post Toletanum 8; ergo additio illa facta fuit non post tempus sextæ Synodi, sed ante. Addi potest illam additionem haberi etiam in Concilio Toletano 3. celebrato anno 589.

25. Andreas Episcopus Colossensis nomine Latinorum in Concilio Florentino sess. 7. post medium dicit. *Maximo in Gallia, & Hispanijs schismate imminente, cum iam, ex filioque, passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse, in multorum Occidentalium amplæ dignitatis, magnoque Concilij Patrum conuentu, addito ex filioque, Symbolum magis illustrare: sed non explicat, quo tempore hoc euenerit.*

26. Baronius anno 447. refert iussu Sancti Leonis primi anno 447. processionem Spiritus Sancti à Filio assumptam fuisse in Symbolum fidei ab Ecclesijs Hispaniæ, & Galliæ, Concilio in Hispania celebrato, licet Romana Ecclesia antiquitatis, tenacissima diutissimè cunctata sit eam in Symbolum inferre, donec tandem sub Benedicto 7. qui creatus est anno 975, ad instantiam Imperatoris Henrici, vt tradit Beruo Abbas Augiensis, admissa fuit, ne Romana Ecclesia ea respiceret, quæ alijs tradidisset. Idem Baronius anno 633. addit, eandem processionem à Patre, Filioque, in Symbolo

bolum assumptam à Concilio Toletano 4. & anno 679. in Anglicano contra Monotelitas celebrato, & in Gentiliaco 766. Hinc colligi videtur additionem illam in Eclesijs Occidentalibus paulatim introductam, ac demum vniuersaliter admissam circa annum Domini 600. licet ignoretur, quo anno, & in quo Concilio fuerit decreta. Hinc patet additionem illam non fuisse factam à Nicolao I. circa annū 860. vt refert S. Antoninus 3. p. Hist. cap. 13. sed esse multo antiquiorem.

27. Opponunt Græci additionem illam, fuisse factam contra decretum Concilij Ephesini, in quo damnat eos, qui fuerint ausi aliam fidem componere, aut scribere, aut exponere, aut corrigere, aut proferre.

28. Respondeo primò, quod Concilium damnat solum eos, qui ausi essent componere aliam fidem contrariam Symbolo Nicæno, non autem qui composuissent fidem explicatiuam, & virtualiter contentam in Nicæno, eo pacto quo Paulus ad Gal. 1. anathematizans eos, qui docuerint præter id, quod ipse docuit, non comprehendit eos, qui docuerint alia dogmata consentanea ijs, quæ Paulus docuerat. Secundò responderetur prohibitionē illam non cadere supra sequentia Concilia generalia, & supra Romanum Pontificem, supra quem sciebat nullā sibi esse præcipiendi potestatem, sed solū cadere in Episcopos inferiores.

29. Græci etiam conquesti sunt in Concilio Florentino, quod non fuerint vocati, cum facta fuit illa additio. Sed respondit nomine Latinorum Andreas Episcopus Colossensis sect. 7. primo incertum nobis esse, an fuerint vocati. Secundò responderetur, quod sicut in Concilijs Orientalibus multa decreta sunt, non præsentibus Latinis, sic illa additio potuit auctoritate Romani Pontificis statui in aliquo Concilio Occidentali, non præsentibus Græcis. Potest enim Pontifex celebrare aliquod Concilium Occidentale, non aduocatis Episcopis Orientalibus.

30. Ad 1. respondeo primò, quod Christus dicens: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis &c.* implicite significauit Spiritum Sanctum paraclitum procedere ab ipso Filio. Non enim vna Persona mittit aliam, nisi ab ea procedat, vt dictum est num. 15. ergo cum addit *qui à Patre procedit*, non significauit, quod procedat à solo Patre; sed à Patre simul, & Filio. Respondeo secundo, quod prædicata, quæ sunt communia pluribus Personis, in Scriptura tribuuntur Patri, quia Patri conueniunt vt primo principio, à quo illa habent aliæ Personæ: e. g. Christus Matth. 16. Petrus dixit: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*, & tamen etiam Filius, & Spiritus Sanctus reuelauerant: Ioan. 6. *Nisi Pater, qui misit me, traxerit euum, & tamen etiam Filius, & Spiritus Sanctus trahunt homines per gratiam*; ergo licet dixerit de Spiritu Sancto, *qui à Patre procedit*, non negauit, quod procedat etiam à Filio, sed ita, vt Filius habeat à Patre

virtutem spirandi Spiritum Sanctum. Hanc solutionem tradit Augustinus tract. 99. in Ioan. & lib. 15. de Trinitate cap. 17. dicens. *Non frustra in hac Trinitate non dicitur de quo procedat principaliter Spiritus Sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur; sed hoc quoque illi Pater dedit. Idem docet cap. 27. & lib. 3. contra Maximinum cap. 143. idque confirmat ex verbis Christi Ioan. 7. Mea doctrina non est mea.*

31. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Patres, dum dicunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, & non faciunt mentionem Filij, non negant illum procedere à Filio, præsertim cum id alijs locis disertè affirmant. Confirmatur: nam dum in Symbolo dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem celi, & terre*, non negamus etiam Filium, & Spiritum Sanctum esse creatorem celi, & terre; ergo à pari.

32. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Concilium Ephesinum, cum lectum fuisset in Symbolo Nestorianorum, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, ideo non contraxit, quia controuersia non erat de hoc puncto; ergo non sequitur, quod id tacitè approbauerit; præsertim cum posituè approbauerit epistolam Cyrilli, in qua dicebat Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, vt dictum est num. 26.

33. Ad 4. Nomen *fontis* strictè sumptum, significat principium primum, quod non ab alio profluit. In hoc sensu Dionysius, & alij Patres dicunt solum Patrem esse fontem Spiritus Sancti, quia solus est principium non ab alio profluens, Filiū dicunt esse veluti flumen, Spiritum Sanctum esse veluti stagnum, quia, Filius profluit ex Patre, sicut flumen ex fonte; Spiritus Sanctus profluit à Filio, sicut stagnum à fluuiio profluente ex fonte, ex quo stagno aliud non profluit. Non desunt tamen Patres, qui minus strictè sumentes nomen fontis, dicunt Filium esse fontem Spiritus Sancti. In hoc sensu Epiphanius Heresi 96. Filium appellat fontem ex fonte: & Cyrillus Alexandrinus in expositione Symboli Niceni relatus à S. Thom. opusc. 1. cap. 32. docet Spiritum Sanctum profluere ex Filio, tanquam ex fonte.

34. Ad 7. concedo antecedens, & nego consequentiam. Sensus Nazianzeni est, quod filius habet omnia, quæ habet Pater, excepto hoc, quod est *esse Patrem*, hoc est esse causam, seu principium Filij, sicut Spiritus Sanctus habet omnia, quæ habet Filius, excepta filiatione, hoc est excepto hoc, quod est *esse Filium*; ergo non negat, sed potius affirmat, filium habere hoc, quod est *esse Spiratorem*, hoc est, principium Spiritus Sancti, cum esse spiratorem non sit formaliter esse Patrem.

35. Ad 6. concedo antecedens, & nego consequentiam. Athanasius dicit solum Patrem esse causam, seu principium duobus, quia filius non est causa, seu principium duobus, sed

vni tantum; ergo non sequitur, quod neget Filium esse principium Spiritus Sancti. Adde, quod dicit solum Patrem esse causam duobus, hoc est principium sine principio; at non negat filium esse principium de principio. In hoc sensu etiam Ioannes Theologus nomine Latinorum in Concilio Florentino sess. 25. dicit: *Tametsi professi fuerimus Patrem unicam Filij, & Spiritus Sancti causam esse.*

36. Ad 7. concedo maiorem, & distingo minorem: si Filius spiraret Spiritum Sanctum, conueniret cum Patre in propria notione Patris, nego: in notione communi spiratoris, concedo; & nego consequentiam. Basilij, & Gregorius non negant Filium conuenire cum Patre in aliqua notione communi, sed solum in propria, quales sunt notio patris, & notio ingenti. Notio autem Spiratoris non est propria Patris.

37. Ad 8. Respondeo primò cum Sancto Thoma 1. parte quæst. 36. artic. 2. Damascenum quoad hoc secutum esse errorem Græcorum, antequam contrarium definiretur. Secundò responderi potest cum Bessarione Orat. pro vnione, quæ habetur in fine Concilij Florentini, Damascenum in re non dissentire à Catholicis, sed solum in modo loquendi. Existimauit enim propositionem ex significare processionem ab aliquo, tanquam à principio primo, & sine principio; propositionem per significare processionem ab aliquo, tanquam à principio de principio; sed Spiritus Sanctus procedit à Patre, tanquam à principio sine principio, procedit à filio tanquam à principio de principio; ergo non est mirum, quod dixerit, Spiritum esse per filium, sed non esse à filio. Hæc expositio placuit etiam Gennadio, aliisque doctissimis Græcorum, & assertur à Ruiz disp. 47. sect. 9. num. 14. & 15.

38. Ad 9. Maximus dicit Latinos patres non concedere filium esse causam, hoc est principium Spiritus Sancti, nomine principij sumendo principium sine principio: in quo sensu solus Pater est principij Spiritus Sancti. At proculdubio Patres Latini concesserunt filium esse principium de principio Spiritus Sancti.

39. Ad 10. Concilium Constantinopolitanum primum fuit congregatum contra Eunomium, & Macedonium, qui vt dictum est num. 14. dicebant Spiritum Sanctum esse creaturam, & facturam solius Filij, non autem Patris, ideoque in Symbolo solum addidit Spiritum Sanctum esse dominum, & procedere à Patre, ac non declarauit illum procedere etiā à filio, quia adhuc non fuerat ortus error id negans. Postquam autem ortus fuit hic error, Summus Pontifex in Concilio Occidentali iussit addi illam particulā *Filioque*. Leo tertius iussit in tabula argentea asseruari Symbolum Constantinopolitanum sine illa particula *Filioque*, quia voluit illud conseruari, prout editum fuerat in Concilio Constantinopolitano, ne eius memoria periret, non autem quia illam additionem improbaueat.

40. Ad 11. distingo maiorem: Filius esset similior Patri in natura, quam Spiritus Sanctus, nego: esset similior Patri in notione spiratoris, concedo. Est absurdum, quod filius sit similior Patri in natura, quam Spiritus Sanctus: at non est absurdum, quod sit similior Patri in notione spiratoris, quam Spiritus Sanctus.

41. Ad 12. & 13. Respondeo primo simili argumento probari posse solum Patrem esse creatorem mundi, Filium, & Spiritum Sanctum non esse creatorem mundi. Pater enim est sufficiens ad mundum creandum; ergo ad mundum creandum non indiget auxilio Filij, & Spiritus Sancti. Rursus mundus est vnus effectus; ergo debet procedere ab vno principio, non à duobus, multo minus à tribus.

42. Respondeo secundo directè, concedo totum. Non enim dicimus Filium ita esse principium Spiritus Sancti, vt Patrem adiunget alia spiratione partiali, sed vt à Patre habeat esse idem principium sufficiens, quod est Pater, eo pacto, quo Filius ita creat mundum, vt non adiunget Patrem ad mundum creandum, sed vt à Patre habeat esse idem principium sufficiens creans mundum. Ad 13. similiter respondeo concedo totum. Dicimus enim, quod sicut mundus, quia est vnus, procedit ab vno principio, sed à tribus Personis, quæ sunt vnum principium, & vnus creator, sic Spiritus Sanctus, qui est vnus, procedit ab vno principio, & ab vno Spiratore, sed à duabus Personis, quæ sunt vnum principium, & vnus spirator, sicut sunt vnus creator, & vnus Deus, vt magis explicabitur quæst. sequenti.

QVÆSTIO CVII.

Vtrum Pater, & Filius sint vnus Spirator, & vnum principium Spiritus Sancti?

1. **V**idetur vera sententia Durandi in 1. distinct. 29. quæst. 2. & 3. Gregorij Ariminensis in 1. distinct. 12. quæst. 1. et quorundam aliorum, qui docuerunt, quod licet Pater, & Filius spirent per vnā, & eandem virtutem spiratiuā, & spirationem actiuā, tamen ex rigore, & proprietate sermonis sint dicendi duo principia Spiritus Sancti, & non vnum principium: primo quia vt docet S. Thomas 1. parte quæst. 39. art. 3. nomina adiectiua dicuntur pluraliter, cum subiectum significatum est multiplex, licet forma significata sit vna; sed nomen principij Spiritus Sancti est nomen adiectiuum, cum significet proprietatem; ergo cum sint duæ Personæ spirantes, licet sit vna spiratio, sunt duo principia Spiritus Sancti, eo pacto, quo si duo subiecta essent alba per vnā, & eandem albedinem, essent duo alba, & non vnum album.

SS

2. Sc

2. Secundò nomen principij non supponit pro natura diuina, neque pro potentia spiratiua, vel actuali spiratione, aut relatione spiratoris; ergo supponit pro supposito spirante; sed sunt duo supposita, & duæ Personæ spirantes; ergo sunt duo principia Spiritus Sancti. Probatur antecedens: essentia enim cum non distinguatur à Spiritu Sancto, non est principium quod Spiritus Sancti, ac proinde nomen principij non supponit pro essentia. Rursus Pater, & Filius sunt principium Spiritus Sancti; sed Pater, & Filius propriè loquendo non sunt virtus spiratiua, neque actualis spiratio, neque relatio spiratoris; ergo principium non supponit pro his.

3. Tertiò si Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, aut sunt vnum principium, quod est Pater, aut sunt vnum principium, quod non est Pater; neutrum dici potest; ergo &c. Probatur minori: si enim Filius est illud vnum principium, quod est Pater, Filius est Pater; si verò Pater est vnum principium, quod non est Pater, Pater non est Pater.

4. Quartò si Pater, & Filius essent vnum principium Spiritus Sancti, essent idem principium; consequens est falsum, & negatur ab Alexandro 1. parte quæst. 70. memb. 3. artic. 4. Sancto Bonauentura in 1. dist. 29. art. 2. quæst. 4. & ab alijs; ergo &c.

5. Quintò si Pater, & Filius essent vnum principium, essent vnus Spirator, & vnus auctor Spiritus Sancti; consequens est falsum, siquidem Hilarius lib. 2. de Trinitate, post medium dicit: *Spiritus Sanctus de Patre, & Filio auctoribus confitendus est*, ideoque Alexander, & S. Bonauentura locis citatis in 3. argumento, nec non S. Thomas in 1. dist. 29. quæst. vnica art. 4. ad 2. concedunt Patrem, & Filium esse duos spiratores, & duos auctores Spiritus Sancti; ergo &c.

6. Sextò si Pater, & Filius essent vnum principium, maximè quia sunt vna virtus spirandi, & vna spiratio; sed Pater est duæ virtutes productiua, paternitas nimirum, & spiratio actiua; ergo Pater esset duo principia; ac saltem Pater prout est principium Filij, & Filius prout est principium Spiritus Sancti sunt duo principia.

7. Septimò, si Pater, & Filius essent vnum numero principium Spiritus Sancti per vnâ numero proprietatem spirandi, essent etiam vnum numero suppositum: consequens est falsum; ergo &c.

8. Respondeo Græcos ex ea potissimum ratione noluisse concedere Spiritum Sanctum à Filio procedere, quia putabant inferri Patrem, & Filium, sicut sunt duæ Personæ, sic esse duo principia Spiritus Sancti, & existimabant latinos in hoc errore versari, vt constat ex Concilio Florentino præsertim sess. 25. in literis Latinorum ad Græcos, & in literis vniõis Eugenij Papæ. Verum tantum abest, vt Latini existimauerint Patrem, & Filium

esse duo principia, vt in Concilio Lugdunensi sub Gregorio 10. & in Florentino sub Eugenio IV. definerint Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, non tanquam à duobus principijs, & duabus spirationibus, sed tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedere. Concilium igitur Lugdunense, vt habetur capit. vnico de summa Trinitate in 6. dicit: *Damnamus omnes, qui negare præsumpserint æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere, siue etiam ausu temerario asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat*. Prius autem dixerat: *Non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit*. Concilium autem Florentinum in literis vniõis post vltimam sessionem dicit: *Hoc sacro vniuersali approbante Concilio definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, scilicet omnes profiteantur, quia Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet à Patre simul, & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ex vno principio, & vnica spiratione procedit*.

9. Hæc veritas duas habet partes. Prima est, quod Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, non per duas virtutes spirandi, & per duas spirationes, sed per vnicam virtutem spirandi, & per vnicam spirationem actiuam. Secunda, quod procedat non tanquam à duobus principijs, sed tanquam ab vno principio; & vtrique pars est probanda.

10. Prima ergo pars probatur. Nam omnia, quæ habet Pater, eadem numero habet Filius, exceptis ijs, in quibus relatiuè opponuntur, qualia sunt *esse Patrem*, & *esse Filium*, ideoque Ioann. 16. Christus dicit: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*; & Ioann. 17. *Omnia tua mea sunt*: sed Pater habet virtutem spirandi Spiritum Sanctum, & habet spirationem actiuam, qua illum spirat, & relationem spiratoris, qua ad Spiritum Sanctum refertur, & in his non opponitur relatiuè Filio; ergo.

11. Confirmatur: nam sicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus habent eandem numero omnipotentiam, & virtutem creatiuam, & operantur ad extra per eandem numero actionem, sic Pater, & Filius habent eandem numero virtutem spirandi, & agendi ad intra, & spirant Spiritum Sanctum per eandem numero spirationem actiuam.

12. Probatur iam secunda pars. Vt enim docet S. Thomas 1. parte quæst. 39. art. 3. nomina substantiua, cum forma significata est vna tantum, dicuntur solum singulariter; cum forma significata est multiplex, dicuntur pluraliter: sed forma significata per hoc nomen principium Spiritus Sancti est virtus spirandi, ac spiratio actiua, & relatio spiratoris, quæ est vna tantum numero, vt dictum est num. 11; ergo dicitur tantum singulariter, ac non pluraliter, ac proinde Pater, & Filius licet sint duæ Personæ spirantes, sunt vnum

principium;

principium, & non duo principia Spiritus Sancti. Addo, quod sicut ex dictis quæst. 93. num. 13. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ita sunt vnus Deus, vt sint vna deitas, sic Pater, & Filius ita sunt vnum principium Spiritus Sancti, vt sint vna virtus spirandi, & vna spiratio actiua.

13. Confirmatur hæc veritas ex Patribus, quos refert Ruiz disput. 70. sect. 1. Gregorius Nyssenus orat. 1. in illud Genes. 1. *Faciamus hominem* dicit: *Vna in vtroque forma, & principium à Patre in Filio idem est.* Athanasius orat. 5. contra Arianos dicit vnum esse principium deitatis, non duo. Dum dicit vnum esse principium deitatis, docet esse vnum principium etiam ad intrā, ac respectu Spiritus Sancti. Idem Orat. contra gregales Sabellij prope medium dicit: *Qui duo principia inducit, is duo numina prædicat.* Similia docent Cyrillus Alexandrinus lib. 12. Thesaur. cap. 1. Hilarius lib. 6. de Trinit. qui loquuntur de principio ad intrā, & tamen negant duo principia, Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. *Fatendum est Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia: sed sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiue vnus creator, & vnus dominus, sic relatiue ad Spiritum Sanctum vnum principium.* Idem docet Anselmus Episcopus de process. Spiritus Sancti cap. 11. & 16. idque probat, quia sunt principium per eandem virtutem spiratiuam.

14. Quæri potest, vtrum Spiritus Sanctus ita procedat à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, vt per se procedat à Patre, & Filio tanquam à duabus Personis propter distinctionem suppositorum.

15. Respondeo affirmatiue cum Sancto Thoma 1. parte quæst. 36. ad primum. Ratio est, quia procedit à Patre, & Filio vt amor vniuersus ipsorum, quatenus duæ Personæ sunt. Ideo Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 5. dicit. *Spiritus ergo Sanctus commune aliquid est Patris, & Filij, quicquid illud est.* Hinc sequitur, quod licet admittamus cum S. Thoma eodem artic. ad 7. creaturas non procedere à tribus Personis, vt tres Personæ distinctæ sunt, sed vt vnum sunt in essentia, tamen ex speciali ratione, Spiritus Sanctus procedit à duabus Personis, non solum vt vnum principium sunt, sed etiam vt duæ Personæ sunt. Videri potest Ruiz disput. 70. vbi ex professo hanc quæstionem examinat, & doctrinam allatam probat testimonijs Patrum.

16. Inferitur primò, quod sicut tres Personæ sunt quidem tres creatores mundum, sed non sunt tres creatores, sed vnus tantum creator, sic Pater, & Filius sunt quidem duo spirantes, sed non sunt duo spiratores, sed vnus spirator. Ratio est, quia vt nomina adiectiua dicantur pluraliter, non requiritur, vt multiplicentur formæ, sed sufficit, vt multiplicentur subiecta, seu supposita; sed nomina creatis, & spirantis sunt adiectiua;

ergo licet non multiplicentur formæ, hoc est creationes, & spirationes, tamen quia multiplicantur supposita, dicuntur pluraliter tres creatores, & duo spirantes. At nomina substantiua vt dicantur pluraliter, non sufficit, vt multiplicentur supposita, sed requiritur, vt multiplicentur formæ; sed nomina creatoris, & Spiratoris sunt substantiua, & significant vt formam virtutem creandi, & creationem, virtutem spirandi, & spirationem actiuam, vna autem est virtus creandi, & creatio, vna virtus spirandi, & spiratio; ergo licet sint tria supposita creatantia, non sunt tres creatores, sed vnus creator; & licet sint duo supposita spirantia, tamen non sunt duo spiratores, sed vnus spirator.

17. Inferitur secundo, quid dicendum sit de sententia Durandi, & Gregorij, qui, vt relatum est in primo argumento, dixerunt, quod Pater, & Filius in rigore sermonis dicendi potius sunt duo principia Spiritus Sancti, quam vnicum principium spirans. Dicendum cum Canariensi 1. parte quæst. 36. art. 2. quem sequitur Ruiz disput. 70. sect. 1. num. 13. prædictum modum loquendi esse temerarium, & periculosum, cum repugnet Concilio Lugdunensi celebrato ante citatos auctores, & Concilio Florentino celebrato post. Et confirmatur, nam posset dici Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres Deos propter pluralitatem suppositorum, licet per vnā, & eandem deitatem.

18. Ad auctoritatem Concilij Lugdunensis Durandus, & Gregorius respondent, Concilium non dixisse Spiritum Sanctum procedere ab vno principio, sed tanquam ab vno principio, ad significandum, quod Pater, & Filius non sunt vnum principium, sed tanquam vnum principium propter vnitatem spirationis, & virtutis spiratiuæ.

19. Sed reijcitur primò; nam sæpè particula tanquam, quasi &c. non significant similitudinem, sed proprietatem, vt cum ad Heb. 3. dicitur: *Moses tanquam famulus, Christus verò tanquam filius in domo sua*, significatur Moysen fuisse propriè famulum, Christum fuisse propriè filium; & cum Ioan. 1. dicitur: *Gloriam eius quasi vnigeniti à Patre* significatur Christum propriè esse vnigenitum; ergo ex eo, quod Concilium addiderit particulam tanquam, non sequitur, quod non significarit propriè esse vnum principium.

20. Reijcitur secundo, nam Concilium Florentinum magis explicans definitionem Lugdunensium, absolute definit Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus Sancti. Sessione enim 25. fidei professio Græcis à Latinis data sic habet. *Quoniam Græci suspicantur, nos duo principia, duasque causas in Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes sententiam anathemate damnamus; quandoquidem ipsi tradimus Patris, & Filij operationem, potestatemque mittendi vnicam Spiritus Sancti causam esse, ita vt Filius non sit diuersum à Patre principium; ergo absolute dam-*

nantur duo principia, ac proinde saltem post Florentinum non licet uti illo subterfugio Durandi, & Gregorij.

21. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem. Nomen enim principij non est adiectiuum, sed substantiuum, cum significet ad modum per se stantis. Nec obstat, quod significet virtutem spirandi, quæ est proprietas Patris, & Filij; primò quia nomen etiam significans formam, & proprietatem accidentalem, puta nomen *albedo*, si significet illam ad modum per se stantis, est substantiuum; secundo quia virtus spirandi, & spiratio actiua, quæ est forma significata per nomen *principium Spiritus Sancti*, licet formaliter non sit substantia absoluta, neque Persona, tamen est veluti forma substantialis infinitè distans ab accidente; ergo nomen *principium Spiritus Sancti*, & ex modo significandi, & ex re significata est substantiuum, non autem adiectiuum; ac proinde ut diceretur pluraliter, deberet multiplicari forma, hoc est virtus spirandi, & spiratio actiua, quæ non multiplicatur, sed est vna tantum.

22. Ad 2. respondeo primo indirectè, quod simili argumento probari posset Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres Deos, & non vnum Deum. Nomen enim *Deus* non supponit pro suo formali significato, hoc est pro deitate, sed pro suo materiali significato, hoc est pro supposito deitatis: sed sunt tria supposita deitatis; ergo sunt tres Dij, & non vnus tantum Deus.

23. Respondeo secundo, quod sicut nomen *Deus* supponit formaliter pro suo formali significato, hoc est pro deitate, & supponit materialiter tantum, & indeterminatè pro suo materiali significato, hoc est pro supposito deitatis, seu pro ratione communi suppositi deitatis; sic nomen *principium Spiritus Sancti* supponit formaliter pro suo formali significato, hoc est pro virtute spiratiua, & pro ipsa actuali spiratione, & relatione spiratoris, & materialiter, ac indeterminatè pro supposito virtutis spiratiuæ, & actualis spirationis, ac relationis spiratoris; ergo sicut quia est vna tantum deitas, pro qua nomen *Deus* supponit formaliter, nomen *Dei* non dicitur pluraliter, ac proinde tres Personæ non sunt tres Dij, sed vnus tantum Deus; ita quia est vna tantum virtus spiratiua, vna spiratio, & relatio spiratoris, pro qua nomen *principium Spiritus Sancti* supponit formaliter, duæ Personæ sunt vnum tantum principium Spiritus Sancti, & non duo principia. Regula enim vniuersalis est, quod ut nomen substantiuum dicatur pluraliter debet multiplicari forma, pro qua supponit formaliter, & non sufficit, ut multiplicetur suppositum, pro quo supponit solum materialiter, & indeterminatè.

24. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem; ac dico, quod Pater, & Filius sunt vnum principium, quod est realiter Pater cum aliqua distinctione virtuali à Patre, ac propter talem distinctionem virtualem non valet, Fi-

lius est illud. vnum principium Spiritus Sancti, quod est Pater; ergo Filius est Pater: sicut propter distinctionem virtualem non valet, Filius est ille vnus Deus, qui est Pater; ergo Filius est Pater. Vide dicta q. 100. in qua egimus de distinctione virtuali.

25. Ad 4. concedo sequelam, ac dico, quod sicut tres Personæ non solum sunt vnus Deus, sed idem Deus, sic Pater, & Filius non solum sunt vnum principium Spiritus Sancti, sed sunt idem principium Spiritus Sancti, ut concedit Sanctus Thomas 1. parte questione 39. art. 4. ad 6.

26. Ad 5. nego minorem, ac dico cum S. Thoma 1. parte quest. 35. artic. 2. ad 7. Patrem, & Filium esse vnum spiratorem, & auctorem Spiritus Sancti, licet id negetur ab Alexandro, & S. Bonaventura, & negatum fuerit à S. Thoma loco citato in argumento. Ad auctoritatem Hilarij responderet S. Thomas, Hilarium dum dixit Spiritum Sanctum processisse à Patre, & Filio auctoribus, locutum minus propriè, ac sumpsisse substantiuum pro adiectiuo.

27. Ad 6. Respondeo primò concedo maiorem, & nego minorem. Pater enim licet sit paternitas, & spiratio actiua, non est duæ virtutes productiuæ realiter distinctæ, cum paternitas, & spiratio actiua non distinguantur realiter, sed solum virtualiter. Respondeo secundo, quod licet paternitas, & spiratio actiua essent duæ virtutes productiuæ, tamen Pater non esset duo principia. Ratio est, quia ut nomen substantiuum dicatur pluraliter, requiritur quidem, ut multiplicetur forma, pro qua supponit formaliter, sed hoc non sufficit, sed requiritur etiam, ut multiplicetur suppositum, pro quo supponit materialiter, ideoque si vnum suppositum haberet duas humanitates, non esset duo homines, sed vnus homo; sed Pater est vnum suppositum; ergo etiam si haberet duas virtutes productiuas, non esset duo principia, sed vnum tantum principium. Videri potest S. Thom. 1. parte qu. 36. art. 2. ad 2. ex quo desumpta est hæc solutio.

28. Ad 7. nego sequelam. Licet Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti, & vnus spirator, non sunt vnum suppositum, quia principium Spiritus Sancti, & spirator, cum sit prædicabile de duobus, non habet rationem suppositi, ut dictum est questione 99. nu. 18. in responsione ad 3. & 4. Videri potest Ruiz disput. 170. sect. 3. vbi de hoc puncto agit ex professo.

Q V Æ S T I O CVIII.

Utrum si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab ipso?

S. Th. q. 36. art. 2.

1. **V**idetur, quod distingueretur, ut docuerunt Henricus Quodlib. 5. qu. 9. Sco-

Scotus in 1. dist. 11. quæst. 2. Gregorius ibidem dist. 11. quæst. 1. art. 2. Baconius in 1. dist. 13. quæst. 1. & alij, primo, quia diuersi, & incompossibiles modi productionis passiuæ sufficient ad inferendam distinctionem terminorum productorum: e. gr. quia frigefactio, & illuminatio sunt diuersi modi productionis, postulant, vt termini producti, nimirum frigus, & lumen distinguantur, etiam si neque frigus procedat à lumine, neque lumen procedat à frigore: sed generatio passiuæ Verbi, hoc est natiuitas, seu productio per intellectum, & spiratio passiuæ, hoc est productio per voluntatem, sunt diuersi, & incompossibiles modi productionis passiuæ, non minus quam frigefactio, & illuminatio; ergo inferrent distinctionem terminorum productorum, hoc est Filij, & Spiritus Sancti, etiam si neque Filius procederet à Spiritu Sancto, neque Spiritus Sanctus à Filio.

2. Secundò idem non potest bis produci duabus productionibus connaturalibus, & adequatis; sed generatio est productio connaturalis, & adequata Filij, spiratio est productio connaturalis, & adequata Spiritus Sancti; ergo Filius, & Spiritus Sanctus, etiam si neuter ab altero procederet, non possent esse idem, sed deberent distinguì, alioquin idem produceretur duabus productionibus connaturalibus, & adequatis.

3. Tertiò Athanasius Dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum post medium dicit: *inter Filium, & Spiritum Sanctum differentiam esse, non habita ratione, quod sint hypostasi, sed quod unus quidem ex vtero sit, hoc est ex intellectu, alter ex ore, hoc est ex voluntate, ad modum halitus*: Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 4. assignat differentiam inter Spiritum Sanctum, & Filium, quod Spiritus Sanctus *exijt, non quomodo natus, sed quomodo datus*: Damasc. lib. 1. de fide, cap. 7. 10. 11. & 17. Spiritum Sanctum distinguit à Filio, quia est à Patre prodiens non filialiter, sed processionaliter: sed etiam si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, hæc verificarentur; ergo.

4. Quartò Anselmus in Epistola de processione Spiritus Sancti, cap. 4. dicit. *Idem non habet hic unitas illa vim consequentia, quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate oritur, & ex processione*. Nam & si per aliud non essent plures Filij, & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diuersi; ergo expressè concedit Filium, & Spiritum Sanctum posse distinguì sufficienter per hoc, quod Filius nascitur, Spiritus Sanctus procedit, etiam si aliud discrimen non adesset.

5. Quintò amor creatus, licet non procedat à Verbo, distinguitur ab illo; ergo etiam Spiritus Sanctus, qui est amor increatus, licet non procederet à Verbo, distingueretur à Verbo.

6. Sextò manentibus vltimis constitutiuis aliquorum suppositorum, manet eorum distinctio; siquidem vltimum constitutiuum rei distinguit illam à qualibet alia re; sed licet Spi-

ritus Sanctus non procederet à Filio, maneret filiatio, quæ est vltimum constitutiuum Filij, & spiratio passiuæ, quæ est vltimum constitutiuum Spiritus Sancti; ergo.

7. Respondeo Gottfredum quodlib. 7. q. 4. relatum à Scoto in 1. distinct. 11. quæst. 2. existimasse quæstionem propositam esse nullam, & solutionis incapacem, quia ex suppositione impossibili, qualis est hæc, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, sequitur quodlibet, ac proinde sequitur Spiritum Sanctum distinguì, & non distinguì à Filio. Torres etiam de Trinitate quæst. 36. art. 2. docuit hanc quæstionem ad Theologum parum spectare.

8. Contrà hos auctores certum videtur quæstionem legitimè propositam esse grauissimam, & ad Theologum spectare. Ratio est, quia est quæstio grauissima, & ad Theologum maximè spectans, in qua quæritur, vtrum aliquis error contra fidem possit legitimè impugnari, & confutari ratione non solum ostensiuæ, sed etiam ducente ad impossibile; sed in hac quæstione quæritur, vtrum error Græcorum dicentium Spiritum Sanctum non procedere à Filio, possit legitimè confutari ratione ducente ad impossibile, qua contra illum vsi sunt de facto S. Thomas 1. part. q. 36. art. 2. Ioannes Theologus in Concilio Florentino, sess. 18. post medium, & Bessarion, orat. pro vnione, quæ habetur post sess. 25. & vltimam Concilij Florentini, cui totum Concilium videtur tacite consensisse; quæ ratio est: Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso; consequens est impossibile, cum euertat Trinitatem, & loco Trinitatis ponat solum dualitatem Personarum; ergo falsum, & impossibile est, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio; ergo hæc quæstio est grauissima, & ad Theologum maximè spectat, cum in ea examinetur maior illa allata rationis, *si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso, & quæretur, vtrum sit vera, & possit contra Græcos efficaciter probari*. Nec obstat, quod ex suppositione impossibili, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, sequatur vtraque pars contradictionis, quod nimirum distingueretur, & non distingueretur à Filio. Nam non obstat efficaciam rationis ducentis ad impossibile, quod ex aliquo sequatur vtraque pars contradictionis, immò per hoc ipsum ratio redditur efficacior, cum ducat ad duplex impossibile: e. g. in casu nostro ratio allata, contra Græcos ducit ad duo impossibilia, alterum est, quod Spiritus Sanctus non distinguatur à Filio, alterum quod simul etiam distinguatur, adeoque distinguatur simul, & non distinguatur.

9. Hinc patet sensus, & vtilitas quæstionis propositæ. Quæritur enim, vtrum possit contra Græcos efficaciter probari, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso, esto sequatur etiam, quod simul distinguatur, adeoque vtrum error

Græ-

326 De processione Spiritus Sancti à Filio.

Græcorum possit efficaciter impugnari ratione hac ducente ad impossibile. Debet autem aduerti, quod ut argumentum concludat contra Græcos, non debet supponi impossibile esse, ut Spiritus Sanctus non procedat à Filio, sed debet abstrahi ab hoc, utrum sit possibile, vel impossibile. Ratio est, quia non debet supponi id, de quo est controuersia, & quod est probandum; sed controuersia cum Græcis est, utrum Spiritus Sanctus procedat à Filio, & utrum sit possibile, quod non procedat; ergo non debet supponi impossibile esse, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, sed abstrahendo ab hoc, debet probari, quod si non procederet, non distingueretur à Filio, ac proinde impossibile est, quod non procedat.

10. His positis, dicendum cum S. Thoma 1. parte quæst. 36. art. 2. & lib. 4. contra gentes, cap. 24. & opusc. 1. cap. 32. Alexandro, Alberto, S. Bonauentura in 1. dist. 11. art. 1. q. 1. Durando eadem dist. quæst. 2. Caietano, Molina, Valentia, Vasquez 1. part. disput. 147. cap. 4. Bellarmino tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 26. Suar. lib. 10. de Trinit. cap. 2. & alijs, quos refert, & sequitur Ruiz disp. 68. cap. 4. si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso, & hoc efficaciter probatur contra Græcos, ac proinde error eorum bene impugnatur hac ratione ducente ad impossibile.

11. Probatur primò: nam Ioannes Theologus, & Bessarion in Concilio Florentino, tacite approbante Concilio, assumpserunt hanc propositionem, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso; ergo hæc propositio non est neganda: immò docet Ruiz disp. 68. sect. 5. non esse probabile, neque tutum in fide illam negare.

12. Probatur secundò conclusio ratione allata à S. Thoma 1. parte, quæst. 36. artic. 2. Nam Personæ diuinæ non possunt realiter distinguui, nisi opponantur relatiuè, ita ut altera producat, altera producat, ideoque est axioma receptum, & approbatum in Concilio Florentino ab Eugenio IV. & positum in decreto pro Iacobinis *in diuinis omnia sunt idem, ubi non obuiat relationis oppositio*; sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius, & Spiritus Sanctus non opponerentur relatiuè; siquidem, neque Filius produceret Spiritum Sanctum, neque Spiritus Sanctus produceret Filium; ergo non distinguerentur.

13. Dices primò: Græci possunt negare hoc principium, quod Personæ diuinæ non possint distinguui, nisi opponantur relatiuè.

14. Sed contra, nam hoc principium non solum ponitur à Patribus Latinis, sed etiam à Græcis, ut ostendit Bessarion in oratione pro vnione cap. 6. ubi affert expressum testimonium Gregorij Nysseni in lib. ad Ablauit, ubi dicit: *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam, non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo, quod credimus aliud quidem causam esse, aliud uerò ex causa, & ex eo, quod causa est?* Ideo

Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. post medium dicit: *Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos diuina processione Personas multiplicat, ita ut non alia ratione, quam vi relationis una persona ab alia differat.* Videri possunt alia testimonia Conciliorum, & Patrum, apud Ruiz disp. 68. sect. 4. n. 3. & disp. 7. sect. 5. n. 7. & sequentibus.

15. Dices secundò: Græci possunt asserere Filium, & Spiritum Sanctum sufficienter distinguui eo, quod habeant relationes, & origines disparatas, per quarum vnā Filius generatur, & procedit per intellectum, & per alteram Spiritus Sanctus spiratur, & procedit per voluntatem.

16. Sed contra, quia præter quam quod hoc est contra Patres, si in Deo relationes disparatæ sufficiunt ad distinguendas Personas, sequitur, quod in Deo sint quatuor Personæ, quod est hæreticum. Probatur sequela. Si ex eo, quod Filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem, licet neuter producat ab altero, sunt duæ Personæ realiter distinctæ, ex eo, quod Pater generet Filium per intellectum, Spirator producat Spiritum Sanctum per voluntatem, Pater, & spirator erunt duæ Personæ realiter distinctæ, adeoque dabuntur quatuor Personæ: Pater generans; Spirator spirans; Filius genitus; Spiritus Sanctus spiratus; sed Pater generans, & Spirator spirans, quia non opponuntur relatiuè, non sunt duæ Personæ, sed sunt vnica Persona habens duas relationes, & origines actiuas, alteram per intellectum, alteram per voluntatem; ergo Filius genitus, & Spiritus Sanctus spiratus, si non opponuntur relatiuè, non erunt duæ Personæ, sed vna Persona habens duas relationes, & origines passiuas, alteram per intellectum, alteram per voluntatem.

17. Dices tertio ex Henrico, & Scoto. Repugnat, quod vna Persona procedat per duas origines: at non repugnat, quod vna Persona producat per duas actiones: vnum enim suppositum potest habere plures actiones; ergo non valet paritas.

18. Sed contra, quia sicut aduersarij dicunt, quod Pater, & Spirator licet generet, & spiret, tamen, quia generatio, & spiratio actiua non opponuntur relatiuè, non sunt duæ origines actiue realiter, sed sola ratione distinctæ, ideoque constituunt solum vnā Personam, quæ simul est Pater, & Spirator, sic debent dicere, quod Filius, & Spiritus Sanctus licet generetur, & spiretur, tamen quia generatio, & spiratio passiuæ non opponuntur relatiuè, non sunt duæ origines passiuæ realiter, sed sola ratione distinctæ, ideoque constituunt vnā Personam, quæ simul sit Filius, & Spiritus Sanctus.

19. Dices quartò: paternitas, & filiatio non opponuntur relatiuè spirationi passiuæ, & tamen ab illa distinguuntur realiter; ergo ad hoc, ut relationes distinguantur realiter, non requiritur, ut opponantur relatiuè inter se.

20. Respondeo, distinguo antecedens; paternitas, & filiatio neque opponuntur relativiue spirationi passiuæ, neque vltimò constituunt supposita habentia oppositionem relativam, nego; & constituunt talia supposita, concedo; & distinguo eodem pacto consequens. Paternitas, & filiatio constituunt vltimò Patrem, & Filium, qui cum producant Spiritum Sanctum, opponuntur relativiue Spiritui Sancto, & à Spiritu Sancto realiter distinguuntur, siquidem supposita relativiue opposita, realiter distinguuntur; sed relationes licet relativiue non opponantur inter se, si tamen, vltimò constituunt supposita relativiue opposita, adeoque realiter distincta, debent realiter distingui; siquidem non possunt realiter distingui supposita, quorum vltima constitutiva realiter non distinguantur; ergo &c. E converso iuxta errorem negantium Spiritum Sanctum procedere à Filio, filiatio, & spiratio passiva neque opponuntur relativiue, neque constituunt supposita relativiue opposita; ergo distingui nequeunt.

21. Urgebis: posset dici, quod sicut spiratio activa, quia non opponitur relativiue Filio, est communis Patri, & Filio sic paternitas, quia non opponitur relativiue Spiritui Sancto, est communis Patri, & Spiritui Sancto, ideoque Pater habet duas relationes, paternitatis, nimirum, per quam convenit cum Spiritu Sancto, distinguitur à Filio, & spirationis activæ, per quam convenit cum Filio, distinguitur à Spiritu Sancto; per complexum autem utriusque vltimo constituitur, & differt ab omni alia Persona. Similiter potest dici, quod Filius habet duas relationes, spirationem nimirum activam, per quam convenit cum Patre, & distinguitur à Spiritu Sancto, & Filiationem, per quam convenit cum Spiritu Sancto, & distinguitur à Patre, per complexum autem utriusque vltimo constituitur, & distinguitur ab omni alia Persona.

22. Sed contra, nam de ratione Personæ est, ut habeat suam proprietatem, & personalitatem propriam incommunicabilem alteri, & ut non solum habeat formalitates communes, ac sit complexum ex pluribus formalitatibus communibus; sed Pater, & Filius non haberent ullam proprietatem, vel personalitatem propriam, sed solum essent complexum ex tribus formalitatibus communibus; ergo. Probatur minori: nam Pater esset complexum ex essentia divina communi tribus Personis, ex spiratione activa communi Filio, & ex paternitate communi Spiritui Sancto: Filius esset complexum ex essentia divina communi tribus Personis, ex spiratione activa communi Patri, & ex Filiatione communi Spiritui Sancto: solus Spiritus Sanctus haberet spirationem passivam propriam illius, ac nulli alteri Personæ communem. Quod autem Personæ divinæ nullam habeant personalitatem propriam, & non communem alijs Personis, est contra omnes Sanctos Patres, qui dicunt,

in singulis Personis ultra communia dari personalitatem propriam.

23. Dices quintò, & vltimo: si Spiritus Sanctus procederet à solo Filio, distingueretur à Patre; ergo si procederet à solo Patre, distingueretur à Filio.

24. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia si Spiritus Sanctus immediatè procederet à solo Filio, qui procedit à Patre, Spiritus Sanctus mediatè procederet à Patre; hoc autem sufficeret ad hoc, ut distingueretur à Patre; alioquin Spiritus Sanctus esset Pater, & sic Pater, & Filius à se mutuo procederent. At si Spiritus Sanctus procederet à solo Patre, neque mediatè procederet à Filio, & sic non distingueretur ab ipso.

25. Concluditur argumentum hoc dilemmate. Negantes Spiritum Sanctum procedere à Filio, vel concedunt Personas divinas non posse distingui, nisi opponantur relativiue, & sequitur Filium non distingui à Spiritu Sancto, adeoque Personas divinas esse solum duas: vel id negant, & asserunt ad distinctionem Personarum sufficere, ut habeant relationes disparatas, alteram per intellectum, alteram per voluntatem, & sequitur, quod Pater distinguatur realiter a spiratore, adeoque Personæ sint quatuor.

26. Queritur, vtrum ex hac hypothefi impossibili, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, sequeretur ytraque pars contradictionis, quod nimirum distingueretur, & non distingueretur à Filio.

27. Respondeo affirmatiue. Probatur, & explicatur. Hypothefis est, *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, sed à solo Patre*: prædicatum hypothefis est, quod procederet à solo Patre, non à Filio; subiectum hypothefis est, quod esset Spiritus Sanctus. Hoc posito, ex prædicato hypothefis, quod nimirum procederet à solo Patre, sequitur, quod non distingueretur à Filio; siquidè nulla Persona procedens à solo Patre, distingui potest à Filio; ex subiecto hypothefis, quod nimirum esset Spiritus Sanctus, sequitur, quod distingueretur, quia Spiritus Sanctus non potest non distingui à Filio; ex integra hypothefi, quod esset Spiritus Sanctus procedens à solo Patre, sequitur, quod distingueretur, & non distingueretur. Proportionaliter si homo esset equus, ex prædicato hypothefis, quod esset equus, sequitur, quod non esset rationalis, quia nullus equus potest esse rationalis; ex subiecto hypothefis, quod esset homo, sequitur, quod esset rationalis, quia omnis homo est rationalis; ex integra hypothefi sequitur, quod esset, & non esset rationalis. Quia verò quod sequitur ex prædicato hypothefis, dici solet sequi per locum intrinsecum, quod sequitur ex subiecto, dici solet sequi per locum extrinsecum, ideo dici potest, quod ex illa hypothefi impossibili per locum intrinsecum sequitur, quod Spiritus Sanctus non distingueretur à Filio, ac solum per locum extrinsecum sequitur, quod distingueretur, 28. Ad

28. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem. In creatis ingessatio, & illuminatio non solum passiva, sed etiam activa, sunt ita diversa propter suam limitationem, ut non possint realiter identificari: at in divinis generatio activa, & spiratio activa, cum sint illimitata, nisi opponantur relativi, vel constituentur supposita relativi opposita, possunt, ac debent identificari, ac non possunt realiter distingui, ac de facto identificantur in Patre, qui est simul generans, & spirans; ergo etiam generatio passiva, hoc est filiatio, & spiratio passiva, si non opponerentur relativi, neque constituerent supposita relativi opposita, identificarentur, ac non possent realiter distingui, ac sic eadem Persona esset genita, & spirata. Ad omnia ergo similia argumenta desumpta ex creatis, disparitas est, quia in creatis actiones, & passiones etiam si relativi non opponantur, possunt opponi, & distingui propter suam limitationem: in Deo autem cum sint illimitata, non possunt distingui nisi propter oppositionem relativam, ut dictum est etiam supra quaestione 101. num. 7.

29. Ad 2. concedo maiorem, & distingo minorem: generatio est productio adaequata Filij, qui opponatur relativi Spiritui Sancto, ac proinde non debeat simul esse Spiritus Sanctus, concedo; qui non opponatur relativi Spiritui Sancto, nego; & nego consequentiam. Generatio est productio adaequata Filij, qui relativi opponatur Spiritui Sancto, ac proinde ab illo distinguatur: si verò supponamus Filium non relativi opponi Spiritui Sancto, eo ipso Filius debet etiam esse Spiritus Sanctus, ac proinde productio adaequata Filij non erit sola generatio, quae non sit simul spiratio, sed erit generatio, quae sit simul spiratio activa. Nec sequitur, quod Filius, & Spiritus Sanctus producerentur per duas actiones adaequatas. Sicut enim Filius esset simul Spiritus Sanctus, sic productio adaequata Filij esset generatio, quae esset simul spiratio. Generatio verò abstrahendo ab hoc, quod esset simul spiratio, esset productio solum inadaequata Filij.

30. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, procederet non solum ex voluntate, seu ore, sed etiam ex intellectu, non solum ut datus, sed ut natus, non solum processionaliter, sed filialiter: siquidem tales modi producendi, cum sint illimitati, distinguuntur non ratione limitationis, sed solum oppositionis relativae; ergo deficiente oppositione relativā, non distinguerentur, ac proinde Spiritus Sanctus procederet omnibus his modis, & sic non distingueretur à Filio, ut explicatum est.

31. Ad 4. Suarius lib. 10. de Trinitate cap. 2. num. 3. & Vasquez 1. par. disp. 147. cap. 4. & quidam alij ingenuè fatentur, Anselmum fuisse in opposita sententia, quam deinde secuti sunt Henricus, & Scotus, ac docuisse Spiritum Sanctum distingui à Filio, secus etiam oppositio-

ne relativā producentis, & producti. Ruiz disput. 68. sect. 6. num. 11. respondet cum S. Thoma de verit. quest. 10. art. 5. ad 2. praedicta verba ab Anselmo fuisse inducenda magis ut disputationem, & inquisitionem, quam ut veritatis definitionem, idque Ruiz confirmat, quia principium illud: *In Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*, traditur ab Anselmo in Epist. de processione Spiritus Sancti.

32. Ad 5. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ideo amor creatus etiam si non procederet à Verbo, distingueretur à Verbo, quia amor creatus, & Verbum creatum distinguuntur ratione suae limitationis; sed Spiritus Sanctus, & Verbum divinum, cum sint illimitati, non possunt distingui ratione suae limitationis; ergo solum possunt distingui ratione oppositionis relativae, adeoque si non opponerentur relativi, non possent distingui.

33. Ad 6. concedo maiorem, & distingo minorem: licet Spiritus Sanctus non procederet à Filio, maneret haec filiatio dans Filio spirationem activam, quae filiatio est ultimum constitutum huius Filij, nego; maneret alia filiatio, non dans Filio spirationem activam, quae filiatio non esset ultimum constitutum huius Filij, concedo; & nego consequentiam. Hic Filius ultimus constituitur, & distinguitur à Spiritu Sancto per filiationem dantem Filio spirationem activam, per quam constituatur hic Filius relativi oppositus Spiritui Sancto; sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ut dicunt Graeci, Filius non haberet filiationem dantem illi omnia, quae habet Pater, etiam spirationem activam; ergo non daretur filiatio, quae est ultimum constitutum Filij in ratione talis Filij distincti à Spiritu Sancto, sed daretur alia filiatio non dans spirationem activam, ac non ultimo constitutiva talis Filij relativi oppositi Spiritui Sancto, sed constitutiva alterius Filij non relativi oppositi Spiritui Sancto, ac proinde indistincti à Spiritu Sancto.

34. Dices: ergo si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, sed remaneret haec filiatio dans Filio spirationem activam, Filius distingueretur à Spiritu Sancto.

35. Respondeo, concedo consequentiam; sed dico, quod haec non est suppositio Graecorum. Graeci enim dicunt, quod filiatio non dat Filio spirationem activam; ergo si supponamus, quod filiatio det Filio spirationem activam, non ponimus hypothesein Graecorum, de qua solum procedit quaestio.

QUESTIO CIX.

Verum divina Personalitates, & relationes ratione sui prae se habent perfectiones?

1. **V**identur non esse, primò, quia relatio divina secundum se prae se non est ens reale, nec est aliquid, sed pure est ad aliquid; sed ut relatio divina secundum se prae se esset perfectio,

fectio, & bonitas, deberet esse aliquid, & ens reales ergo. Probat major auctoritate Sancti Thomæ, Boetij, & Cyrilli Alexandrini. Sanctus Thomas de potentia, quæst. 2. art. 5. dicit. *Relatio secundum rationem sui generis in quantum est relatio, non habet, quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid: quod verò sit aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in diuinis, vel habens causam in subiecto, sicut in creaturis.* Et in 1. dist. 20. quæst. 1. art. 1. ad 3. & dist. 26. quæst. 2. ad 3. *Quamvis relationi ex hoc, quod ad alterum dicitur, non debeat, quod sit res quædam, est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur, & ex hoc ulterius habet in quantum est diuina, quod sit hypostasis.* Et 1. par. quæst. 28. art. 2. in corpore dicit: *Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inueniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ.* Boetius lib. de Trinitate post medium dicit *Prædicationem relationem nihil rei addere, vel minuire, vel mutare, quæ tota non in eo, quod est esse, consistit, sed in eo, quod est in comparatione aliquo modo se habere.* Idem insinuat alijs locis, quæ videri possunt apud Ruiz disput. 9. sect. 1. num. 13. & 14. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. Thesauri, cap. 3. ante medium dicit *Differentiam Personarum, quæ secundum relationem est, quasi extrinsecus intellectam esse; ergo relationes diuinæ sicut secundum se præcisè non sunt ens, & non sunt aliquid, sic non sunt perfectiones.*

2. Secundò si relationes diuinæ secundum se præcisè essent perfectiones, darentur in Deo tres perfectiones, tres bonitates, & tres dignitates realiter distinctæ; consequens est absurdum, & contra S. Thomam, qui quæst. 2. art. 4. num. 14. dicit: *Sicut Paternitas, & Filiatio sunt una essentia, ita sunt una dignitas, & una bonitas;* & 1. par. quæst. 30. art. 2. ad 4. dicit, quod Spiritus Sanctus non habet bonitatem numero aliam à bonitate Patris, sed vnam, & eandem; ergo &c.

3. Tertiò sequeretur Patrem habere perfectionem paternitatis, quæ Filio desit; Filium habere perfectionem filiationis, quæ desit Patri; idemque dic proportionaliter de Spiritu Sancto. Hinc ulterius sequitur, nullam Personam diuinam seorsim sumptam esse infinitam in genere entis, siquidem non haberet omnem perfectionem possibilem.

4. Quartò perfectiones relatiuæ non sunt finitæ in genere entis; ergo sunt infinitæ; ergo dantur tres perfectiones infinitæ realiter distinctæ; ergo posset dici, quod non repugnent plures perfectiones absolutæ infinitæ in genere entis realiter distinctæ, adeoque quod possunt dari plures Dij.

5. Quintò sequeretur vnam Personam seorsim acceptam, ex.gr. Patrem, esse minus perfectam, quam totam Trinitatem, cum tota Trinitas ultra perfectionem paternitatis includat etiam perfectionem filiationis, & spirationis passiuæ; sed includens est perfectius inclusio; ergo &c.

6. Sextò relationes sunt quasi diuersæ species, & rationis; sed perfectiones diuersæ species sunt inæquales, siquidem species sunt inæquales, & sicut numeri, ut cum Aristotele 8. Metaph. text. 10. docet communis sententia; ergo diuinæ relationes essent inæquales in perfectione, adeoque vna Persona esset perfectior alia, quod est absurdum. Confirmatur, nam producere est perfectius, quam produci; ergo Pater esset perfectior Filio, Filius esset perfectior Spiritu Sancto.

7. Septimò si in Deo essent tres bonitates, & perfectiones, deberent etiam esse tres vnitates, tres veritates, tres æternitates &c. sed hæc sunt absurda; ergo &c.

8. Octauò, vel relationes essent perfectiones simpliciter simplices, vel simplices; neutrum dici potest; ergo &c. Probat minor: nam nulla pura perfectio opponitur alteri perfectioni, ideoque omnes puræ perfectiones possunt inuicem identificari, ac solum perfectiones mixtæ non possunt identificari ratione imperfectionis, quam includunt: sed relationes diuinæ opponuntur, ac non possunt identificari; ergo.

9. Respondeo Paludanum, Capreolum, Caietanum 1. par. qu. 28. art. 1. par. 2. & 3. p. quæst. 3. art. 1. Ferrariensem 2. contra gentes cap. 9. & 4. contra gentes cap. 14. & alios, quos refert Ruiz disp. 9. sect. 1. num. 7. & 8. & disput. 29. sect. 1. num. 5. docuisse, relationem in quantum consistit in *esse ad*, nihil reale ponere, sed solum ponere aliquid reale in quantum addit *esse in*: & quia relationes diuinæ sunt in Deo non per inhærentiam, sed per identitatem cum diuina essentia, & cum *esse* absoluto Deo, ideo dixerunt relationes diuinæ esse reales per essentiam, & esse absolutum Dei, sed non esse reales, nec esse ens sub præcisâ ratione formali relationis. Consequenter dixerunt relationes diuinæ secundum formalem, & præcisam rationem relationis nec esse perfectiones, nec imperfectiones, nec finitas, nec infinitas, sed totam perfectionem, & infinitatem diuinis relationibus conuenire ratione essentia. Plures etiam ex auctoribus, qui dixerunt relationes diuinæ etiam secundum se præcisè includere realem entitatem, nihilominus dixerunt illas secundum se præcisè nec esse perfectiones, nec imperfectiones, nec finitas, nec infinitas, nimirum Scotus in 1. dist. 2. quæst. 5. & dist. 26. quæst. vnica, & dist. 19. quæst. 1. Durandus in 1. dist. 13. quæst. 2. & alibi, Marsilius in 1. quæst. 6. art. 1. Richardus in 1. dist. 19. art. 1. quæst. 3. & alij; & ex nostris Molina 1. par. quæst. 28. art. 2. disput. vltima, & quæst. 42. art. 6. disp. 6. & Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Christo, cap. 12. in fine.

10. Secunda sententia docet relationes diuinæ secundum vltimam, & præcisam rationem talis relationis, & secundum *esse ad* præcisè includere communem rationem bonitatis, & perfectionis transcendentalis. Sequuntur hanc sententiam Ocham, Aureolus, Clichtonæus

uæus in Damasc. lib. 1. cap. 11. Valentia in controuersijs de Trinitate, lib. 2. cap. 12. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 9. & 10. & 3. par. tom. 1. disp. 11. sect. 5. Henricus quodlib. 1. quæst. 1. Carthusianus in 1. dist. 24. quæst. 7. Vasquez 1. part. disput. 122. c. 6. & alij.

11. Dicendum cum secunda sententia, quam præter alios sequitur Ruiz disput. 9. sect. 5. & 6. & disput. 29. sect. 2. & sequentibus: relationes diuinæ secundum suam ultimam rationem includunt entitatem, bonitatem, & perfectionem transcendentalem distinctam virtualiter intrinsecè à perfectione absoluta diuinæ essentia.

12. Probatur primò conclusio auctoritate S. Thomæ, & S. Bonaventuræ, & quorundam aliorum Scholasticorum. S. Thomas 1. parte quæst. 29. art. 3. dicit: *Vnde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod eius essentia continet in se omnem perfectionem; conueniens est, ut hoc nomen Persona de Deo dicatur;* ergo existimat Personam secundum formalem rationem Personæ, hoc est secundum Personalitatem, esse perfectionem, ideoque attribuendam Deo. Opusculo primò contra errores Græcorum, cap. 2. docet, testimonium Basilij de dignitate Patris exponendum esse non de dignitate naturali, sed de Personali, sicut & secundum nos dicitur, quod Persona est *Hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente;* ergo existimat paternitatem esse dignitatem, & perfectionem Patris, per quam distinguatur à Filio. Sanctus etiam Bonaventura in 1. dist. 23. art. 3. quæst. 1. dicit. *In Deo est reperire suppositum distinctum proprietate nobilissima;* ergo existimat paternitatem, qua Pater distinguitur à Filio, spectare ad perfectionem, & nobilitatem. Antiqui etiam Theologi Personam definiebant, dicendo: *Persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente, & hanc definitionem admittunt, & explicant* Albertus 1. par. quæst. 44. membro 2. Alexander quæst. 56. membro 3. & S. Thomas 1. par. quæst. 29. art. 3. ad 2.; ergo existimant proprietates personales, quibus distinguuntur diuinæ Personæ, ad dignitatem, & perfectionem pertinere.

13. Probatur secundò conclusio ex Patribus. Patres non solum dicunt Personas esse perfectas, sed etiam asserunt Personas esse perfectas secundum ipsam rationem Personæ, & personalitates in abstracto ad perfectionem spectare; ergo existimant personalitates secundum se esse perfectiones. Probatur antecedens, afferendo testimonia Patrum. Alexander Alexandrinus in Epist. 5. ad Alexandrum Constantinopolitanum, quæ Epistola habetur ante Concilium Nicænum, dicit: *Dignitas ingenitas est ingeniti propria, & honor debitus Filio tribuendus est, assignandaque illi generatio initio carens.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri cap. 6. dicit: *Perfectus est non solum quia Deus, sed etiam quia Pater est;* & paulò post: *Notio ergo perfectionis sacunditas est.* Nazianzenus Orat. 13.

quæ est secunda de pace, circa medium dicit. *Quanto Deus rebus creatis excellentior est, tanto utique prima causa magnificentiæ est diuinitatis, quam rerum creatarum principium esse.* Et inferius: *Deo quidnam maius, & præstabilibus erit, quam Filij Patrem esse, quod quidem gloria est accessio, non decessio, quemadmodum, & Spiritus productorem esse;* & post medium: *Ea, quæ à principio, videlicet à Patre manant, non minus ob relationem, quam inter se habent, laudanda, quam unumquodque per se acceptum, & intellectum;* sed ex Aristotele 1. Rhetor cap. 6. & 1. Ethic. cap. 12. nihil est laudabile, nisi propter perfectionem, & bonitatem; ergo non solum prædicata absoluta, sed etiam mutua relatio diuinarum Personarum spectant ad earum perfectionem, & bonitatem. Plura alia testimonia videri possunt apud Ruiz disp. 29. sect. 2. & seqq.

14. Adde Patres, quos affert Ruiz disp. 29. sect. 4. & 5. docere, Deum, & ipsam essentiam diuinam fore imperfectam, si decissent ipsi relationes; sed imperfectio consistit in carentia perfectionis, non aliter ac cecitas consistit in carentia visus, tenebræ in carentia lucis; ergo supponunt relationes esse perfectiones.

15. Probatur tertio conclusio rationibus. Prima ratio est: Trinitas est omnino perfecta; sed ad perfectionem omnimodam rei spectat, ut nulla desit illi perfectio, & ut nihil rei adsit, quod ad eius perfectionem non pertineat, alioquin adesset illi aliquid superfluum; ergo ad perfectionem Trinitatis spectat, ut omnes relationes, & personalitates sint perfectiones. Hoc argumento probat Hilarius Patrem nunquam fuisse sine generatione Filij. Vel enim generatio spectat ad perfectionem Patris, vel non: si spectat ad perfectionem Patris, Pater aliquando caruisset aliqua perfectione, & fuisset imperfectus; si generatio non spectat ad perfectionem Patris, Pater cum cepit generare, incepisset habere aliquid superfluum, ut potè quod nulla esset perfectio. Continetur hoc dilemma Verbis Hilarij lib. 12. de Trinitate, prope finem, quibus sic Patrem æternum alloquitur: *Nec sine tuo Filio fuisse constituendus aliquando es, ne aut imperfectus sine generatione, aut superfluous post generationem arguaris.*

16. Secunda ratio est. Omne id, quod etiam ratione sui melius est esse, quam non esse, proculdubio est perfectio; perfectio siquidem definiri potest, quam ratione sui melius est esse, quam non esse; sed relationes diuinas etiam ratione sui melius est esse, quam non esse; ergo &c. Probatur minor: nam Trinitatem secundum omnia, quæ includit, ratione sui melius est esse, quam non esse: Sed Trinitas includit non solum deitatem, sed omnes relationes, & personalitates; ergo. Confirmatur, nam quis audeat negare Patri non solum ratione essentia, sed etiam ratione paternitatis, melius esse, ut sit, quam ut non sit, idemque dic proportionaliter de Filio, ac Spiritu Sancto.

17. Tertia ratio est. Omnes rationes com-

communis Deo, & creaturis, quæ prout sunt in creaturis ratione sui sunt perfectiones, à fortiori ratione sui sunt perfectiones, prout sunt in Deo: e. g. quia sapientia est communis Deo, & creaturis, & prout est in creaturis est perfectio, à fortiori est perfectio prout est in Deo: sed personalitas, paternitas, filio et c. sunt rationes communes Deo, & creaturis, & prout sunt in creaturis ratione sui sunt perfectiones; ergo à fortiori prout sunt in Deo sunt perfectiones. Adde, quod rationes istæ secundum se præcisè, abstrahendo à Deo, & creaturis, dicunt perfectionem, ut videtur ex se manifestum. Quis enim dubitet, utrum sicut sapientia ratione sui præcisè est perfectio, sic personalitas ratione sui præcisè sit perfectio? Et quis audeat dicere personalitatem ratione sui præcisè abstrahere ab hoc, quod sit perfectio, vel non sit perfectio, & prout contrahitur ad hoc, ut sit personalitas creatura, esse perfectionem, prout contrahitur ad hoc, ut sit personalitas Dei, non esse perfectionem?

18. Quarta ratio est. Ipsa capacitas, & exigentia perfectionis ratione sui præcisè perfectio quadam est; e. g. eo ipso, quod sapientia est perfectio, capacitas, & exigentia sapientia est quadam perfectio, ideoque in homine non solum est perfectio hoc, quod est esse sapientem, sed etiam hoc, quod est esse capax sapientia: sed diuinæ relationes per se ipsas præcisè sunt capaces identitatis realis cum deitate, per quam infinite perficiuntur, ac proinde sunt capaces infinite perfectionis; ergo per se ipsas præcisè sunt perfectiones. Confirmatur primo: nam capacitas maioris perfectionis est maior perfectio: e. g. quia intelligere est maior perfectio, quam audire, capacitas intelligendi, quæ conuenit homini, est maior perfectio, quam capacitas audiendi, quæ conuenit cani. Rursus capacitas, quæ non potest coniungi cum priuatione alicuius perfectionis, est maior perfectio, quam capacitas, quæ potest cum eius priuatione coniungi: e. g. si aliqua natura sit ita capax sapientia, ut non possit carere sapientia, nec possit esse insipiens, perfectior est, quam si ita sit capax sapientia, ut possit carere sapientia, & possit esse insipiens; sed relationes diuinæ sunt capaces infinite perfectionis perfectissimo modo habendæ, hoc est per identitatem, & ita, ut illa carere non possint; ergo proculdubio secundum se præcisè sunt perfectiones. Confirmatur vltius: nam perfectio est, quam secundum se præcisè melius est habere, quam non habere; sed relationibus diuinis melius est habere hanc capacitatem habendi omnes perfectiones, quam illam non habere; ergo.

19. Dices primo: capacitas omnis perfectionis propter hoc ipsum, quod est capacitas omnis perfectionis, nulla est perfectio: nam eo ipso, quod esset aliqua perfectio, non esset capacitas illius perfectionis; sed relationes diuinæ per se ipsas sunt capacitas omnis perfectionis ut habendæ per essentiam; ergo per

se ipsas nulla sunt perfectio.

20. Respondeo, distinguo minorem: relationes diuinæ sunt capacitas habendi omnes perfectiones simpliciter simplices formaliter solum per essentiam, concedo; simplices, nego. Relationes diuinæ etiam per aduersarios, non omnia prædicata habent formaliter per essentiam, sed sola prædicata dicentia perfectionem habent formaliter per essentiam, prædicata non dicentia perfectionem habent formaliter se ipsis; ergo nos possumus dicere, quod relationes non omnes perfectiones habent formaliter per essentiam, sed perfectiones simpliciter simplices habent formaliter per essentiam, aliquas perfectiones simplices inclusas in ipso conceptu relationum habent formaliter se ipsis, ut magis explicabitur infra num.

39. Porro sicut repugnat, ut relationes omnia prædicata habeant formaliter per essentiam, virtualiter ab ipsis distinctam, siquidem prædicatum relationis debent habere per se ipsas: sic repugnat, ut omnes perfectiones simplices habeant per essentiam virtualiter distinctam ab ipsis, siquidem perfectiones imbibitas in prædicato relationis, ac præsertim perfectionem capacitatis identificandi sibi omnes perfectiones essentia, debent habere per se ipsas. Adde, quod hanc ipsam perfectionem capacitatis relationes habent ab essentia, non quidem, tanquam à causa, vel quasi causa formali, sed tanquam à radice virtuali: siquidem essentia est ratio, & radix virtualis omnium relationum, ut dictum est supra quæst. 22.

21. Pro maiori explicatione conclusionis quæri potest primo, utrum perfectio relationum secundum se præcisè sit finita, vel infinita?

22. Respondeo, quod vel loquimur de infinitate simpliciter, & in omni genere, vel de infinitate secundum quid, & in aliquo tantum genere. Si loquamur de infinitate simpliciter, & in omni genere, dico, quod perfectio cuiuslibet relationis diuinæ secundum se præcisè considerata est infinita negatiue, sed non est infinita positiue. Probat, & explicatur. Nam infinitas positiua consistit in hoc, quod aliqua perfectio includat formaliter, vel eminenter, aut æquivalenter omnes omnino perfectiones, præsertim simpliciter simplices: sed perfectio relationum e. g. paternitatis cum virtualiter distinguatur à perfectionibus simpliciter simplicibus, & absolutis sapientia, immensitatis &c. proculdubio non includit illas formaliter, nec includit eminenter, vel æquivalenter, quia ut dictum est supra quæst. 22. num. 17. perfectio relatiua non est ratio, & radix essentia, & perfectionum, absolutarum, sed è conuerso resultat ex essentia, tanquam ex adæquata radice; ergo perfectio relationum secundum se præcisè non est simpliciter infinita positiue. Ex opposita ratione perfectio essentia diuinæ est infinita simpliciter positiue in omni genere, quia includit formaliter, vel æquivalenter omnes perfe-

ationes possibiles, cum includat formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, seclusis imperfectionibus, & includat æquivalenter etiam perfectiones relativas, cum sit adæquata ratio, & radix illarum, sicut includit eminenter omnes perfectiones creatas. Probatur iam, quod perfectio relationum sit infinita negativè. Infinitas enim negativa consistit in hoc, ut res non excludat à se ullam perfectionem simpliciter simplicem, neque identitatem realem cum vlla perfectione; sed quolibet perfectio relativa non solum non excludit à se ullam perfectionem, sed exigit identitatem realem cum divina essentia, adeoque cum omnibus perfectionibus simpliciter simplicibus; ergo qualibet perfectio relativa est infinita negativè.

23. Dices: eo ipso, quod aliqua perfectio excludat à se identitatem realem cum divina essentia, quæ includit omnes perfectiones simpliciter simplices, non est infinita negativè; ergo eo ipso, quod excludat identitatem virtualem cum divina essentia, non est infinita negativè.

24. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia eo ipso, quod perfectio aliqua excludat identitatem realem cum divina essentia, non potest esse infinitè perfecta; ergo est positivè limitata in perfectione; sed infinitas negativa consistit in hoc, quod perfectio non habeat limitationem suam perfectionis; ergo eo ipso non est infinita negativè. At si perfectio excludat à se solum identitatem virtualem cum essentia divina, sed non excludat identitatem realem, est infinitè perfecta per identitatem realem cum essentia divina; ergo secundum se non est finita, & limitata positivè, ac proinde est infinita negativè.

25. Si loquamur de infinitate secundum quid, & in aliquo genere, dico, quod singulæ relationes divinæ sunt etiam positivè infinitè perfectæ in suo genere: puta paternitas est infinitè perfecta in genere paternitatis, filio in genere filiationis &c. Probatur, & explicatur. Nam productio actiua præsertim adæquata eo est perfectior in genere productionis actiue, quo per illam produciens producit terminum perfectiorem; sed Pater per generationem actiuam producit Filium, Pater, & Filius per spirationem actiuam produciunt Spiritum Sanctum, qui sunt infinitè perfecti; ergo generatio actiua Verbi, & spiratio actiua Spiritus Sancti sunt infinitè perfectæ in ratione generationis actiue, & spirationis actiue. Ex eadem ratione generatio passiva Verbi, & spiratio passiva Spiritus Sancti sunt infinitè perfectæ in suo genere, quia per illas produciuntur Filius, & Spiritus Sanctus infinitè perfecti. Ex proportionali ratione relationes identificatæ cum originibus sunt infinitæ perfectæ. Valet enim eadem ratio. Paternitas enim eo est perfectior, quo per illam quis est Pater Filij perfectioris, & fundatur in genera-

tione perfectiori: idemque dic de filiatione, &c. Addo relationes divinas ita esse infinitè perfectas in suo genere, ut sint capacitas, & exigentia identificationis cum essentia, quæ est infinitè perfecta in omni genere, ac proinde includunt capacitatem, & exigentiam infinitè perfectam in genere capacitatis, & exigentiae.

26. Ex eo, quod perfectio relationum secundum se præcisè sit infinita in suo genere, & sit infinita negativè, ut explicatum est, infertur perfectionem relationum in nullo sensu esse finitam. Ut enim esset finita, deberet finiri, & limitari per negationem, & exclusionem ulterius perfectionis; sed ut dictum est, perfectio relationum nullam aliam perfectionem excludit, ac non habet negationem identitatis cum vlla perfectione simpliciter simplici; ergo non est finita. Videri potest Ruiz disp. 28. sect. 1. & 2.

27. Queritur secundò, utrum tres relationes sint tres perfectiones, & bonitates, vel potius sint vna tantum bonitas, & perfectio?

28. Respondeo duas esse sententias. Prima Ochami, Aureoli, Gabrielis, Valentiae in controuersijs de Trin. lib. 2. cap. 12. Suarez lib. 3. de Trin. cap. 9. num. 14. & cap. 10. & 3. partom. 1. disp. 11. sect. 4. & aliorum docet, tres relationes esse tres perfectiones, & bonitates transcendentales, & relativas. Fauere videtur huic opinioni S. Thomas de Potentia, quæst. 9. art. 9. ad 7. dicens: *Utraque perfectio non differt secundum quantitatem &c.* Dum dicit *utraque perfectio*, significat perfectiones esse duas, adeoque multiplicari.

29. Secunda sententia docet, tres relationes simpliciter, & absolute loquendo non esse tres perfectiones, sed vnam tantum, quamvis quodammodo, & cum addito possint dici tres. Hanc sententiam sequuntur etiam multi ex ijs, qui concedunt relationes esse perfectiones, & inter alios Vasquez 1. p. disp. 122. cap. 6. & Ruiz disp. 30. sect. 3. & alij, quos vide apud Ruiz loco citato.

30. Dicendum, quod tres relationes sunt vna solum perfectio, & bonitas absoluta, ac sunt tres perfectiones, & bonitates relatiue: simpliciter tamen, & absolute loquendo, sunt vna tantum perfectio, & bonitas, ac non sunt tres perfectiones, & bonitates.

31. Probatur: nam perfectio, & bonitas absoluta est divina essentia: sed tres relationes sunt vna tantum divina essentia, & non sunt tres essentiae; ergo sunt vna tantum perfectio, & bonitas absoluta. At perfectio, & bonitas relatiua sunt ipsæ relationes, ac proinde cum relationes sint tres, sunt tres perfectiones, & bonitates relatiue. Quia tamen perfectio absolute dicta sumitur pro perfectione absoluta, quæ in Deo est vna tantum, ideo simpliciter, & absolute tres relationes sunt vna perfectio, ac bonitas, ac solum cum addito aliquo restringente tres relationes sunt tres perfectiones relatiue.

32. Si verò quæatur, vtrum tres relationes sint vna, vel tres perfectiones transcendentales, dico, quod non sunt vna perfectio transcendentalis, nec tres, sed sunt perfectio transcendentalis, abstrahendo ab hoc, quod sint vna, vel tres. Ratio est, quia perfectio transcendentalis est, quæ abstrahit ab absoluta, & relatiua, & sic vtramque transcendit; ergo abstrahit ab hoc, quod sit vna, vel tres; ergo tres relationes sunt perfectio transcendentalis, abstrahendo ab hoc, quod sit vna, vel tres, ac potest dici, quod sunt perfectio transcendentalis vna vnitatem præcisionis.

33. Inferitur, quid dicendum sit ad similes quæstiones de multiplicatione prædicatorum transcendentium, cuiusmodi sunt *res*, *entitas*, *veritas*, *vnitas*, *bonitas* &c. Dicendum, quod tres relationes sunt vna tantum *res*, *entitas*, *veritas*, & *bonitas* absoluta, ac sunt tres *res*, *entitates*, *veritates*, *bonitates*, & *vnitates* relatiuæ: & quod absolute sunt vna tantum *res*, *entitas*, *vnitas*, *bonitas*, ac solum cum addito *relatiui* aequaliter restringente sunt tres *res* relatiuæ, tres *entitates* relatiuæ, tres *vnitates* relatiuæ, ac tres *veritates* relatiuæ. Eadem enim est ratio. Videri potest Ruiz disp. 26. 27. & 30. vbi de his fusissimè tractat. Neque enim libet immorari, cum spectent ad modum loquendi, siquidem de re ipsa constat.

34. Quæritur tertio, vtrum tres perfectiones relatiuæ præcisè consideratæ, in quantum abstrahunt à perfectione absoluta essentie, sint æquales, vel inæquales?

35. Respondeo, quod Clichtouæus in Commentarijs Damasceni lib. 1. cap. 11. docuit perfectiones personales, & relationes esse inæquales, cum omnimoda tamen æqualitate in natura.

36. Dicendum cum communi sententia, Sanctorum Patrum, & Scholasticorum: perfectiones personales, & relatiuæ diuinarum. Personarum sunt omnino æquales. Probatur primo, nam Patres à diuinis Personis quamlibet omnino inæqualitatem excludunt: Scholastici etiam asserunt omnimodam æqualitatem non solum in essentialibus, sed etiam in notionalibus. Ideo Ruiz disp. 30. sect. 1. sententiam Clichtouæi graui censura notat.

37. Probatur secundò ratione. Nam capacitates, & exigentiæ identificandi sibi diuinam essentiam, per quam constituentur infinite perfectæ in omni genere, sunt æquæ perfectæ: sed omnes perfectiones personales, & relatiuæ diuinarum Personarum sunt capacitates, & exigentiæ identificandi sibi diuinam essentiam, à qua infinite perficiuntur in omni genere, vt dictum est num. 18. ergo.

38. Opponunt Damascenum lib. 5. cap. 9. & quosdam alios Patres, qui dicunt, & Patrem esse maiorem Filio, propter ordinem originis, & de hac maiestate exponunt illud Ioan. 14. *Pater maior me est*. Sed Patres illi explicandi sunt de maiestate quadam ratione nostra. Quia enim in creaturis paternitas per-

fectior est filiatione concipimus Patrem æternum vt maiorem Filio, licet verè paternitas in diuinis non sit perfectior filiatione, quia, vtraque per se ipsam exigit identificare sibi essentiam diuinam, per quam infinite perficiatur in omni genere.

39. Quæritur quartò, vtrum relationes diuinæ secundum se præcisè sint perfectiones simpliciter simplices, vel solum perfectiones simplices?

40. Respondeo duas esse sententias. Prima Gregorij, Maioris, Gabrielis, Ochami, Valentia in Controu. lib. 2. de Trin. cap. 12. Vasquez disput. 122. cap. 4. num. 10. & cap. 6. & 7. & aliorum, quos refert, & sequitur Ruiz disput. 30. sect. 9. num. 5. docet relationes secundum se præcisè esse perfectiones simpliciter simplices.

41. Dicendum cum secunda sententia, Suarij, & aliorum, quos refert Ruiz loco citato. Relationes diuinæ secundum se præcisè sunt solum perfectiones simplices, hoc est nullam dicentes imperfectionem, sed non sunt perfectiones simpliciter simplices.

42. Probatur primò ex definitione perfectionis simpliciter simplicis. Perfectio enim simpliciter simplex definitur communiter ex Anselmo in Monologio cap. 14 & in Prologo cap. 5. *Quam in vnoquoque melius est esse, quam non esse, vel quæ melior est ipsa, quam non ipsa*. Sensus definitionis est: perfectio simpliciter simplex est, quæ talis est, vt quodlibet ipsam habens ita, vt de ipso prædicetur, sit melius quolibet ipsam non habente, & de quo non prædicatur. In hoc sensu esse substantiam, esse viuens, esse cognoscituum, esse intellectuum, esse sapientem, esse volituum &c. sunt perfectiones simpliciter simplices; nam sunt tales, vt quodlibet ipsas habens sit melius quolibet ipsis carente. Omnis enim substantia est perfectior quolibet, quod non sit substantia: quodlibet sapiens est perfectior quolibet carente sapientia &c. E conuerso esse sensituum non est perfectio simpliciter simplex. Nam non quodlibet sensituum est melius quolibet non sensitiuo. Deus enim, & Angeli licet non sint sensitui, sunt perfectiores, & meliores bratis, quæ sunt sensitui; sed relationes diuinæ non sunt tales, vt quodlibet, de quo prædicantur, sit melius quolibet, de quo non prædicantur: nam esse Patrem non prædicatur de Filio, & Spiritu Sancto, & tamen Pater non est perfectior Filio, & Spiritu Sancto; similiter esse Filium non prædicatur de Patre, & tamen Filius non est perfectior Patre.

43. Confirmatur ex alia descriptione perfectionis simpliciter simplicis. Est enim *Quæ in quolibet est necessaria, ne sit imperfectum*, eo pacto, quo sapientia, bonitas &c. de quolibet debet prædicari, ne sit imperfectum: quodlibet enim eo ipso, quod non sit sapiens, est imperfectum, & defectuosum; sed relationes diuinæ non in quolibet sunt necessariae, ne sit imperfectum: Filius enim non est Pater, & tamen

tamen non est imperfectus: Pater non est Filius, & tamen non est imperfectus; ergo &c. Vide dicta quæst. 22. n. 17.

44. Probatur secundo conclusio ex proprietate quadam perfectionis simpliciter simplicis. Perfectio enim simpliciter simplex habet hanc proprietatem, ut quod non habet illam formaliter, non possit habere eminenter, & æquivalenter, ita ut sit radix adæquata realis, vel virtualis illius, ut explicatum est n. 17; sed essentia diuina licet formaliter per se ipsam non sit vlla perfectio relatiua, tamen est adæquata ratio, & radix virtualis omnium perfectionum relatiuarum, paternitatis nimirum, filiationis &c; ergo relationes diuinæ non sunt perfectiones simpliciter simplices.

45. Probatur tertio: nam in Deo dantur duo genera perfectionum, absolutæ, & relatiuæ, & utraq; sunt simplices, cum non includant vllam imperfectionem. Perfectiones absolutæ sunt necessariae cuiuslibet, ne sit imperfectum, & quodlibet ipsas habens est melius quolibet non habente, & non continentur in vlla radice reali, vel virtuali antecedenti. Propter hæc prædicata vocantur perfectiones simpliciter simplices. Perfectiones relatiuæ habent opposita prædicata, propter quæ dicuntur perfectiones solum simplices; ergo cum constet de hoc discrimine reali, solum superest quæstio de nomine, de qua non multum curamus.

46. Infertur, quid sit perfectio solum simplex. Dicendum, quod est illa, quæ ita caret omni defectu etiam contingentia, ut licet ratione sui melius sit ipsam esse, quam non esse, tamen non in quolibet sit necessaria, ita ut de ipso debeat prædicari, ne sit imperfectum, & defectuosum.

47. Dices: paternitas est necessaria omnibus Personis, & personalitatibus diuinis, ne sint defectuosæ: nam nisi haberent paternitatem per circuminseccionem, essent defectuosæ; ergo paternitas est perfectio simpliciter simplex.

48. Respondeo ex dictis, quod non sufficit ad perfectionem simpliciter simplicem, ut quomodocumque sit necessaria cuiuslibet, ne sit imperfectum, sed requiritur, ut ita sit necessaria, ut debeat de ipso prædicari; sed paternitas non potest prædicari de Filio, & Spiritu Sancto, neque de filiatione, & spiratione passiuæ; ergo non est perfectio simpliciter simplex. Confirmatur, nam perfectiones absolutæ debent prædicari de quolibet, ne sit imperfectum: perfectiones relatiuæ non debent prædicari de quolibet, ne sit imperfectum; ergo cum constet de hoc discrimine, perfectiones absolutæ sapientiæ, bonitatis &c. vocamus perfectiones simpliciter simplices; perfectiones relatiuæ paternitatis, filiationis &c. vocamus perfectiones solum simplices.

49. Ad 1. nego maiorem, ac dico relationes diuinæ, in quantum tales relationes sunt,

paternitas nimirum &c. præseindendo etiam ab essentia, esse ens reale, esse aliquid, & esse perfectiones relatiuas. Ad auctoritatem S. Thomæ, Boetii, & Cyrilli Alexandrini dico filios non negare, quod nos asserimus. S. Thomas tribus locis allatis in argumento, docet relationes secundum rationem communem, & supertranscendentalem relationis, secundum quam abstrahunt ab hoc, quod sint reales, vel rationis, non esse ens reale, nec esse aliquid, nec esse intrinsecus affixas, sed tantum esse ad aliquid, quod vltro nos concedimus: sed non negat, immo concedit relationem realem, in quantum realis est, & ut talis exigit inesse subiecto, sicut in creaturis, vel exigit identificari cum eo, de quo dicitur, ut in Deo, esse ens reale, & esse aliquid; sed relationes diuinæ paternitatis, filiationis &c. prout distinguuntur virtualiter ab essentia, exigit identificari cum essentia; ergo iuxta doctrinam S. Thomæ sunt ens reale, sunt aliquid, & sunt perfectiones relatiuæ. Boetius etiam, dum dicit prædicationem relatiuam nihil rei addere, vel minuere, vel immutare, quæ rota non in eo, quod est esse, consistit, sed in eo, quod est in comparatione aliquo modo se habere, loquitur de prædicatione relatiua secundum rationem supertranscendentalem, & communem relationi reali, vel rationis, extrinsecè, vel intrinsecè denominantis: at non negat aliquas prædicationes relatiuas secundum vltimam rationem talis prædicationis relatiuæ aliquid rei addere, vel minuere, & consistere in esse, nec negat tales prædicationes relatiuas esse, quibus Pater dicitur Pater, & Filius dicitur Filius. In eodem sensu dicit Cyrillus Alexandrinus differentiam Personarum secundum relationem quasi extrinsecus intellectam esse, quia relatio ex sua ratione communissima abstrahit ab hoc, quod sit extrinseca, vel intrinseca: at non negat differentiam Personarum secundum tales relationes paternitatis, filiationis &c. esse intrinsecam ipsis Personis, quæ per relationes constituuntur, & subsistunt. Quo pacto enim constituerentur, & subsisterent per aliquid extrinsecum? Videri potest Ruiz disput. 9. sect. 7.

54. Dices: quare dicitur, quod relatio ex suo conceptu communi abstrahit ab hoc, quod sit realis, & rationis, qualitas, quantitas, & cætera prædicamenta non dicuntur ex suo conceptu communi abstrahere ab hoc, quod sint aliquid reale, vel rationis.

55. Respondeo rationem esse, quia relatio consistit in hoc, quod subiectum referatur ad alterum: & quia subiectum potest verè referri ad alterum, etiam per actum rationis, ideo dicitur relatio abstrahere ab hoc, quod sit rationis. E conuerso qualitas consistit in hoc, quod subiectum reddat quale, puta album, aut nigrum &c. quantitas consistit in hoc, quod reddat subiectum quantum, puta palmare, vel bipalmare; sed non potest aliquid verè esse quale, quantum &c. per actum rationis;

tionis; ergo non debemus dicere, quod quantitas, qualitas &c. abstrahat ab hoc, quod sit realis, vel rationis; saltem non debemus hoc dicere cum eo fundamento, cum quo dicimus de relatione.

56. Ad 2. distinguo maiorem: darentur in Deo tres perfectiones, tres bonitates, & tres dignitates absolutæ, & sine addito, nego; tres bonitates relatiuæ, & cum addito aliquo, licet distrahente, concedo; distinguo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Sicut in Deo datur vna essentia, sic datur vna tantum bonitas, vna dignitas, & vna perfectio absolutè loquendo, & in hoc sensu loquitur S. Thomas. Sicut dantur tres relationes, sic dantur tres bonitates, dignitates, & perfectiones relatiuæ cum hoc addito relatiuæ, quod aliquo modo restringit: nec hoc negatur à S. Thomas, qui loquitur de perfectionibus, vt de pluribus, vt cum de Potentia quæst. 9. art. 9. ad 7. dicit: *Vtraque perfectio non differt secundum quantitatem.*

57. Ad 3. nego sequelam. Nullam perfectionem habet Pater, quæ Filio desit, siquidem Filius habet etiam perfectionem paternitatis, non quidem constitutiue, & prædicatiue, ita vt per illam constituatur, & vt de Filio prædicetur, sed per circuminfectionem. Hinc sequitur singulas Personas diuinas seorsim acceptas in genere entis esse infinitè perfectas, cum habeant omnes perfectiones diuinas tum absolutas, tum relatiuas, & omnibus perficiantur, vt explicatum est.

58. Dices: Patres asserunt vnam Personam non habere proprietates personales alterius; sed iuxta doctrinam allatam sequeretur, quod vna Persona haberet proprietates personales alterius; ergo. Probat maior, asserendo testimonia Patrum. Athanasius quæstionibus de natura Dei quæst. 5. dicit: *Omnia aequaliter habet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, præter proprietates suas. Proprium enim Patris est esse ingentum, Filij esse genitum, ac Spiritus Sancti procedere.* Cyrillus in anathematismo contra Nestorium Anathematismo 9. *Vnigenitum Dei Verbum omnia præter paternitatem aequalia, & communia habens:* & lib. 2. Thesauri, cap. 1. ante medium: *Nihil proprium vni est, quod alteri non insit, excepta solummodo Patris, & Filij appellatione, ac re:* & lib. 3. Thesauri, cap. 1. *Nihil habet alter, quod alteri non sit, nisi quod hic Pater, ille Filius est.* Eugenius in Concilio Florentino in literis vnionis post vltimam sessionem dicit: *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.*

59. Respondeo, quod Patres dicunt vnam Personam non habere proprietates personales alterius constitutiue, & prædicatiue: sed asserunt, quod habent per circuminfectionem, vt patet ex testimonijs allatis quæst. 94.

60. Hinc conciliantur testimonia Scripturarum, & Patrum, quibus sine vlla limitatione dicitur, quod omnia, quæ habet Pater, habet Filius, & omnia quæ habet vna Persona,

habet alia, cum testimonijs, quibus excipiunt proprietates personales. Nam per prima dicunt, quod omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius vel constitutiue, & prædicatiue, vel per circuminfectionem, sine vlla exceptione: per secunda asserunt, quod omnia, quæ Pater habet constitutiue, & prædicatiue, habet etiam Filius constitutiue, & prædicatiue, exceptis proprietatibus personalibus. Testimonia Scripturarum, & Patrum, quibus sine exceptione dicitur, quod omnia, quæ habet Pater, habet Filius, passim occurrunt. Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt.* Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 6. *Omnia à Patre iure generationis accepit.* Hilarius lib. 3. de Trinitate post medium: *Quid distrahis Filium à Patre? Vnum sunt scilicet is, qui est, nihil habens, quod non sit etiam in eo, à quo est.* Isidorus lib. 1. sententiarum de summo bono cap. 15. *Nihil habet Pater, quod non habeat Filius.* Lactantius lib. 4. Diu. Institut. cap. 19. *Quid quid est in Patre ad Filium transfluens.* Ideo S. Thomas in cap. 16. Ioan. lect. 3. post medium, dicit: *Simpliciter concedimus, quidquid habet Pater, habet Filius.*

61. Ad 4. concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo perfectiones relatiuæ secundum se præcisè sunt infinitæ negatiue in genere entis, concedo: sunt infinitæ positiue in genere entis, nego: distinguo eodem pacto secundum consequens; & nego secundam consequentiam. Ex dictis num. 24. perfectiones relatiuæ sunt infinitæ solum negatiue in genere entis, at non sunt infinitæ positiue, adeoque non dantur tres perfectiones positiue infinitæ in genere entis; ergo non sequitur posse dari plures perfectiones positiue infinitas in genere entis immò sequitur oppositum. Est enim possibilis vna tantum perfectio positiue infinita in genere paternitatis, hoc est vna tantum paternitas; est possibilis vna tantum perfectio positiue infinita in genere filiationis, hoc est vna tantum filiatio &c; ergo est possibilis vna tantum perfectio infinita positiue in genere entis, & in omni genere, hoc est vna tantum essentia diuina.

62. Ad 5. nego sequelam. Quælibet Persona includit essentiam, quæ identificatur cum tota Trinitate, adeoque quælibet Persona seorsim sumpta includit per circuminfectionem totam Trinitatem, & omnes alias Personas, & personalitates, ac proinde est æquè perfecta, ac tota Trinitas, cum sit perfecta perfectione totius Trinitatis. Differentia inter totam Trinitatem, & vnam Personam seorsim sumptam est, quod tota Trinitas includit tres Personas constitutiue; vna autem Persona includit ceteras Personas non constitutiue, sed solum per circuminfectionem, vt explicatum est num. 60. Quod autem quælibet Persona, seorsim sumpta sit æquè perfecta, ac tota Trinitas, docent Patres, ac præsertim Augustinus. Augustinus igitur lib. 7. de Trinitate, cap. 6. dicit,

dicat. *Tres simul illa substantia, siue Persona, sit ita dicenda sunt, aequales sunt singulis.* Idem docet lib. 8. in Proœmio, & cap. 1. lib. 5. de Trinitate, cap. 3. lib. 3. contra Maximinum, cap. 10. Serm. 38. de tempore propè medium, Epist. 66. ad Maximin. ante medium, & alibi sæpè. Debet autem aduerti, quod Augustinus hanc æqualitatem docet vt certum dogma, eiusque doctrinæ de Trinitate maximam auctoritatem conciliat consensus aliorum Patrum, & Scholasticorum, & approbatio Ioannis 2. Papæ in Epistola 2. ad Senatores, quæ solet vocari liber de duabus naturis contra Eutychianos, in quo vt statuat dogmata de Trinit. & Incarnatione, præmittit: *Augustini doctrinam secundum Prædecessorum meorum instituta Romana sequitur, & seruat Ecclesia.* Consonat Augustinus Fulgentius lib. 3. ad Monimum, cap. 7. dicens: *Tantum est ipsum Verbum, quanta est simul mens ipse cum Verbo:* Concilium Toletanum 6. in professione fidei, dicens: *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum unaquaque Persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totæ tres Personæ vnus Deus enunciantur:* Bernardus Epist. 190. ad Innocentium dicens: *Totum est Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus Sanctus; totum Spiritus Sanctus, quod ipse, & Pater, & Filius: & totum vnus est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis.* Vide alia testimonia apud Ruiz disput. 30. sect. 2.

63. Dices: essentia considerata secundum se præcisè prout virtualiter distincta à personalitatibus, non includit perfectiones relationas personalitatum; ergo est minus perfecta, quam tota Trinitas.

64. Respondeo, distinguo antecedens; essentia secundum se præcisè non includit personalitates formaliter, concedo: non includit eminenter, nego; & distinguo consequens; ergo est minus perfecta intensiue, nego; extensiue, concedo. Deus scorsim non est minus perfectus intensiue, quam aggregatum, ex Deo, & mundo, quia Deus solus licet non contineat formaliter perfectionem mundi, continet illam eminenter. At Deus scorsim est extensiue minus perfectus, quam Deus simul, & mundus, quia aggregatum ex Deo, & mundo supra perfectionem Dei, addit formalem perfectionem mundi. Proportionaliter deitas præcisè considerata non est intensiue minus perfecta, quam tota Trinitas, quia deitas continet eminenter omnes perfectiones relationas; at deitas scorsim, & præcisè est extensiue minus perfecta, quam tota Trinitas, quia tota Trinitas ultra perfectionem diuinæ essentiae addit formaliter perfectionem relationum, per quas perfectio deitatis quodammodo se extendit.

65. Dices secundò: paternitas præcisè considerata prout non includit perfectionem essentiae, & aliarum relationum, est minus perfecta, quam essentia, & quam tota Trinitas.

66. Respondeo distinguo: paternitas præcisè considerata præcisione, qua præscinditur ab ipsa sua perfectione, est minus perfecta, præcisè, quam essentia, & tota Trinitas, concedo; est minus perfecta negatiue, nego. Non est absurdum, quod paternitas præcisè considerata præcisione, qua præscinditur à sua præcipua perfectione, sit minus perfecta præcisè, quam essentia, cum verè, & realiter sit æquè perfecta, ac essentia, & tota Trinitas. Confirmatur solutio: nam aduersarij dicunt paternitatem præcisè consideratam nullam, esse perfectionem; ergo possumus nos concedere paternitatem præcisè consideratam esse quidem perfectionem, sed præcisè minorem perfectione essentiae.

67. Ad 7. distinguo maiorem: relationes diuinæ sunt quasi diuersæ speciei quo ad essentiam, nego: quoad se ipsas præcisè, concedo: ac distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Propriè differunt speciei, quæ sunt dissimilia in essentia, & quæ sic differunt specie, sunt inæqualia, & sicut numeri: quæ autem non differunt in essentia, propriè non differunt specie, & possunt esse omnino æqualia; sed relationes diuinæ non solum non sunt dissimiles in essentia, sed sunt vna, numero essentia infinita in genere entis, & in omni genere; ergo licet secundum se ipsas præcisè sint dissimiles, tamen propter identitatem essentiae sunt omnino æquales in perfectione, cum sint capacitas, & exigentia identitatis cum essentia diuina, à qua perficiuntur infinite in omni genere. Ad confirmationem, distinguo antecedens: producere est perfectius, quam produci, si sint eiusdem essentiae, nego: si non sint eiusdem essentiae, concedo; & nego consequentiam. In Deo producere, & produci sunt vna, & eadem essentia diuina, & exigunt identificari cum eadem essentia, à qua summe, & sic æqualiter perficiantur, ideoque propter exigentiam identificationis cum eadem summa essentia, habent omnimodam æqualitatem in perfectione.

68. Ad 7. Sicut in Deo sunt tres bonitates, & perfectiones relationis cum addito aliquo, qualiter restringente, sic sunt tres vnitates, & tres veritates relationis, vt explicatum est n. 35. At nullo pacto in Deo sunt tres æternitates, tres immensitates, tres sapientiæ &c. Ratio est, quia hæc prædicata non sunt transcendentia, ideoque relationes per se ipsas non sunt æternæ, immensæ &c. sed solum sunt æternæ per æternitatem, & immensitatem essentiae; non sunt etiam tres existentiae, quia existunt per essentiam. Videri potest Ruiz disp. 26.

69. Ad 8. Iam dictum est num. 49. relationes diuinas esse perfectiones simplices, sed non esse perfectiones simpliciter simplices. Perfectiones simpliciter simplices non opponuntur ita, vt non possint inuicem identificari. Ratio est, quia perfectio simpliciter simplex non potest in quolibet esse connexa cum imperfectione: nam eo ipso non esset perfectio

fectio simplex, sed mixta cum imperfectione: sed si opponeretur alteri perfectioni simplici, ac non posset cum illa identificari, in quolibet esset connexa cum exclusionem alterius perfectionis simpliciter simplicis, & sic cum imperfectione: nam perfectio simpliciter simplex in quolibet est necessaria, ne sit imperfectum; ergo perfectio simpliciter simplex non potest opponi alteri perfectioni simpliciter simplici. At perfectio solum simplex, cum non sit in quolibet necessaria, ne sit imperfectum, potest opponi alteri perfectioni simplici. Nam ex eo, quod illam excludat, non sequitur, quod subiectum reddatur imperfectum, eo pacto, quo ex eo, quod Pater non sit Filius, non sequitur, quod sit imperfectus.

Q V A E S T I O CX.

Verum in Deo præter tres subsistentias relativas detur una subsistentia absoluta communis tribus Personis?

1. **V**idetur dari, primò, quia deitas per se ipsam, & præcendendo etiam à relationibus, habet omnes perfectiones simpliciter simplices: sed subsistere est perfectio simpliciter simplex; ergo.

1. Secundò, ut arguit Caietanus, natura diuina non mendicat subsistentiam à suppositis; ergo subsistit per se ipsam.

3. Tertiò deitas per se ipsam est vltimò completa, & perfecta in ratione substantiæ; sed substantia constituitur vltimò completa, in ratione substantiæ per hoc, quod subsistat, siue per se existat; ergo deitas se ipsa per se existit, & subsistit subsistentia absoluta.

4. Quartò subsistere nihil aliud est, quam substantiam existere independentem à quocunque alio, cui inexistat, & à quo sustentetur; sed deitas per se ipsam, & præcendendo à relationibus, sic existit; ergo deitas per se ipsam, & præcendendo à relationibus subsistit.

5. Quintò deitas per se ipsam, & præcendendo à relationibus est Deus; sed Deus in concreto est substantia subsistens, & sic includit subsistentiam; ergo deitas per se ipsam, & præcendendo à relationibus subsistit. Probatur maior: nam Concilium Rhemense in confessione fidei contra Gilbertum Porretanum dicit: *Credimus simpliciter naturam deitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas.*

6. Sextò actiones sunt subsistentium; sed deitas per se ipsam intelligit, vult, creat, & gubernat mundum, & est principium omnium actionum ad extra; ergo deitas per se ipsam subsistit.

7. Septimò si deitas non haberet tres subsistentias relativas, adhuc perfectissimè subsisteret per se ipsam; sed de facto non existit mi-

nus perfectè, quam tunc existeret; ergo de facto subsistit per se ipsam.

8. Octauò Agatho Papa in quadam Epistola dicit: *Confitemur Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non tres Deos, sed unum Deum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum, seu Personarum unam subsistentiam.* Idem docent plures alij Patres, quos refert Ruiz disp. 34. sect. 8. & 9. & colligitur ex Sancto Thoma pluribus locis ab eodem allatis; ergo præter tres subsistentias relativas concedenda est in Deo aliqua subsistentia absoluta communis tribus Personis.

9. Respondeo tres esse præcipuas sententias. Prima Durandi in 1. dist. 20. quæst. 1. num. 6. & dist. 33. q. 1. num. 37. & in 3. dist. 1. q. 2. num. 7. docet in Deo dari unam tantum subsistentiam, eamque absolutam, & communem tribus Personis, tres autem relationes non esse tres subsistentias relativas, sed solum tres modos incommunicabilitatis. Eandem sententiam Ruiz disp. 34. sect. 1. num. 5. & 6. tribuit Scoto, Alberto, Argentina, Marfilio, Capreolo, Ferrariensi 4. contra gentes cap. 26. Heruzo, Egidio, & alijs, & addit eadem opinioni fauere Bellarminum, dum Tomo 1. controuert. 2. lib. 2. de Christo cap. 15. dicit essentiam à relationibus præcisam subsistere, relationes autem subsistere ratione essentiae, quam includunt.

10. Secunda sententia docet in Deo dari subsistentiam absolutam communem tribus Personis, & præter illam dari tres subsistentias relativas. Hanc opinionem sequi videtur Paludanus in 3. dist. 1. q. 2. & expressè docuit Caietanus 1. par. q. 30. art. 4. & 3. p. quæst. 2. art. 2. & quæst. 3. art. 2. & 3. Caietanum sequuntur Miranda in summa Conciliorum in Annotat. onibus ad sextam Synodum, art. 11. Suarez de Deo lib. 4. de Trinit. cap. 11. & 14. & 3. par. tom. 1. disp. 11. sect. 3. 4. & 5. & disp. 12. & 13. & plures alij recentiores, qui tribuunt illam auctoribus, qui dicunt, naturam creatam posse assumi à Deo secundum rationem, aliquam existentiam communem tribus Personis, ita ut non personalitas relatiua, sed hoc commune terminaret immediatè naturam assumptam. Sunt autem tales auctores Richardus in 3. dist. 1. q. 3. Ockham in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. Gabriel eadem dist. qu. 1. art. 3. dub. 4. & alij, quos refert Ruiz disput. 34. sect. 1. num. 10. qui tamen addit illos obscurè locutos, ac fortasse non admittere subsistentiam hanc absolutam.

11. Tertia sententia negat dari in Deo subsistentiam absolutam communem tribus Personis, ac asserit solum dari tres subsistentias relativas. Docent hanc sententiam Alexander 1. p. q. 57. membro 3. & 3. p. q. 2. membro 3. S. Bonaventura in 1. dist. 23. art. 2. qu. 1. & 2. & in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. Richardus in 1. dist. 26. art. 1. qu. 1. & alij ex antiquis, & ex recentioribus Vasquez 1. par. qu. 125. cap. 3. Molina 1. p. q. 29. art. 2. disp. 3. conclus. 2. Valentia tom. 1.

tom. 1. q. 13. puncto 3. & in controuer. lib. 3. de Trinit. cap. 6. & Ruiz disp. 34. sect. 1. & sequentibus, apud quem videri possunt alij auctores.

12. Dicendum primò cum tertia sententia: dantur in Deo tres substantiæ relatiuæ, in quibus Deus subsistit.

13. Probatur primò auctoritate Conciliorum, & Pontificum. Concilium Nicænum primum lib. 2. post medium dicit: *Vna diuinitas Sanctæ Trinitatis in tribus subsistentiis perfectis equaliter consideratur.* Concilium Constantinopolitanum primum in Epist. ad Damascum circa medium: *In tribus perfectissimis subsistentiis, scilicet in tribus perfectis Personis, ut neque Sabellij languor locum habeat confusione substantiarum, aut peremptorie proprietatum.* Concilium Chalcedonense Act. 16. in resp. ad Marcianum Imperatorem in professione fidei commemorat trium substantiarum Patres intulisse doctrinam, non extra Scripturam sacram hanc inuentionem sibi fingentes; Concilium Constantinopolitanum 2. quod est Generale quintum collatione 8. anathematismo 2. dicit: *Si quis non confitetur unam deitatem in tribus subsistentiis, seu Personis adorandam, anathema sit.* Agatho Papa Epist. 2. quæ est instructio legatorum, dicit: *Trinitatem substantiarum sue Personarum.* Recipitur autem hæc Epistola in Concilio Constantinopolitano 3. quod est sextum generale. Concilium Nicænum 2. quod est generale 7. in confess. Fidei Tarasij approbatæ, à Concilio dicit: *Proferentes unam deitatem in tribus subsistentiis indiuisim discretam, & distinctam unitam.* Concilium Lateranense sub Martino 1. Papa Consult. 5. Can. 1. dicit: *Si quis non confiteatur secundum Sanctos Patres propriè, & vere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, hoc est unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, anathema sit.*

14. Probatur secundò auctoritate Patrum. Iustinus in expositione fidei de Sancta Trinitate dicit: *Se maluisse vnius Trinitatis in tribus perfectis subsistentiis notitiam exponere.* Athanasius tom. 2. in Quæstionibus quæst. 7. dicit: *Tres Personas conficor, tres substantias, tria propria, tria individua, tres characteres;* & Sermon in Euangelium in Sanctissimam Deiparam dicit: *Vnum Deum in tribus subsistentiis predicantes, in quibus una sit substantia;* Gregorius Nyssenus in Epist. de imagine. & similitudine contra Apollinarem dicit: *Inuenies substantiarum, seu Personarum Trinitatem, & unitatem naturæ.* Cyrillus Alexandrinus Dialog. de Trinit. lib. 2. pluries repetit: *Tres substantias proprias;* & lib. 3. dicit: *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit, & unam quidem videmus Deitatis naturam, quæ in tribus subsistentiis propriis &c.* Dialogorum lib. 7. Deitatis naturam ut in tribus subsistentiis explanari à Sacra Scriptura. Damascenus lib. 1. de Fide cap. 9. dixit: *Tres hypostases, & tres substantia, & Persona;* & inferius dicit: *Filius propriam substantiam habet, præter eam, quæ Patris est.* Am-

brosius in Symbolum Apostolorum, cap. 2. dicit: *Ut & unum Deum secundam unitatem substantia fateamur; & Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in sua quemque substantia sentiamus.*

15. Probatur tertio discursu desumpto ex S. Thoma 1. p. qu. 29. art. 2. in corp. & ad 2. & quæst. 40. art. 2. in corpore, & ad 1. & 3. p. qu. 2. art. 3. in corp. Nam apud Græcos Patres idem est hypostasis, ac apud Latinos substantia: sed in Deo sunt tres hypostases, ut pluribus testimonijs Patrum Græcorum, & Latinorum probat Ruiz disp. 31. sect. 4. & 5. ergo in Deo sunt tres substantiæ. Maior probatur testimonijs Patrum, quæ affert Ruiz disp. 34. sect. 3.

16. Respondent aliqui nomen substantiæ apud antiquos Patres sumi, prout est concretum, ac significat totum substantiale per se subsistens, non autem prout est abstractum, & significat formam, seu rationem formalem, per quam totum substantiale per se subsistit; ergo ex eo, quod Patres dicant dari in Deo tres substantias, sequitur quidem dari tria, tota substantia per se subsistentia, & tria supposita, Patrem nimirum, Filium, & Spiritum Sanctum, sed non sequitur dari tres substantias, hoc est tres rationes formales subsistendi: ac proinde non sequitur tres relationes esse tres substantias in abstracto.

17. Sed contra, nā nomina concreta substantia non multiplicatur, nisi multiplicetur forma, eo pacto, quo nō sunt tres Dii, quia nō sunt tres deitates; sed nomen substantiæ est concretum substantium, & iuxta Patres multiplicatur, ac dicuntur in Deo esse tres substantiæ; ergo sunt in Deo tres substantiæ in abstracto, seu tres rationes formales subsistendi, eo pacto, quo quia sunt in Deo tres Personæ, & tria supposita, sunt in Deo tres personalitates, & tres suppositalitates realiter distinctæ. Hinc rejiciunt doctrinam eorum, qui dicunt, tres relationes non esse tres substantias in abstracto, sed tres incommunicabiles vnius substantiæ absolutæ. Nam cum substantia in concreto significet ut rationem formalem substantiam in abstracto, si una tantum esset substantia in abstracto, non essent tres substantiæ in concreto, sicut si una tantum esset personalitas in abstracto, non essent tres Personæ in concreto.

18. Probatur quartò conclusio: nam substantia in concreto est ens substantiale præsertim completum per se subsistens, ita ut non sit ulterius communicabile, & prædicabile de pluribus: substantia in abstracto est, per quam ens substantiale præsertim completum ita per se subsistit, ut non sit communicabile, & prædicabile de pluribus; sed tres Personæ, nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tria entia substantia completa per se substantia, ita ut non sint communicabilia, & prædicabilia de pluribus: nam Pater non dicitur de pluribus, Filius non dicitur de pluribus,

bus, Spiritus Sanctus non dicitur de pluribus; ergo tres Personæ, nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres substantiæ in concreto. Rursus relatio paternitatis est, per quam Pater ita per se subsistit, ut non sit communicabilis, & prædicabilis de pluribus: filiatio est, per quam Filius ita per se subsistit, ut non sit communicabilis de pluribus; idemque proportionaliter dic de spiratione passiva; ergo relationes sunt tres substantiæ in abstracto.

19. Dicendum secundò: non datur in Deo substantia absoluta cõmunis tribus Personis.

20. Probatur primò: nam Concilia, & Patres dicunt, quod sicut ponere in Deo tres naturas, vel tres essentias spectat ad errorem Arrianorum, sic ponere vnam substantiam, vnam hypostasim, & vnam Personam spectat ad errorem Sabellianorum; ergo sicut nefas est ponere in Deo tres naturas, & tres essentias proprias Personarum, sic nefas est ponere vnam substantiam, vnam hypostasim, vel vnam Personam communem.

Probatur antecedens, afferendo testimonia Patrum. In 6. Synodo Sophronius Patriarcha Hierosolimitanus actione 11. in professione Fidei, quæ recipitur à Synodo actione 13. dicit: *Neque secundum, quod Trinitas vnus Deus agnoscitur, & substantia tres, & tres Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, dicitur contritus, vel compositus, vel confusus, & in vnam se ipsum colligens substantiam, in vnamque coercens non numerabilem Personam. Sabellianorum ista est prauitas in vnam substantiam tres confundens substantias, & in vnam Personam easdem tres conspergens Personas: ergo proficitur ad errorem Sabellianorum spectare ponere in Deo vnam Personam communem, ac ponere vnam substantiam communem: & paulo post addit: *Verumque est impium, tam singularitas circa substantiam, quam ternalitas in naturis; ergo existimat, quod sicut ponere tres naturas est error Arrianorum, sic ponere vnam substantiam est error Sabellianorum, ac proinde sicut non est dicendum, quod tres substantiæ sunt tres nature, sic non est dicendum, quod vna natura est vna substantia absoluta communis.* Iustinus quæst. 17. ad Orthodoxos: *Vnus est Deus, vnus individuo substantia, sed tres Personæ diuisione consistentiarum; ergo sicut essentia, & substantia non est diuidenda propter distinctionem substantiarum, sic substantiæ non sunt confundendæ in vnam propter unitatem substantiæ.* Damascenus in Epistola de Trisagio dicit: *Trinitatem impossibile est dicere vnam hypostasim: sed hypostasis idem est ac substantia; ergo Trinitatem impossibile est dicere vnam substantiam communem, & absolutam; & paulo post: Particularia non communicantur, communia autem & si ab vnoquoque particularium participantur, sed vnice, & communiter; ac paucis interpositis: Non est autem ipsorum communis hypostasis: deitas autem communis est trium hypostasum vna existens; ergo hypostasim, seu substantiam ponit inter particularia, & propria**

Personarum, quæ non sunt communia, ac proinde non est admittenda vna hypostasis, & substantia communis, sicut non sunt admittendæ tres deitates propriæ. Theodoretus in additionibus ad Breuiarium Liberati, Fragmento penultimo: *Credantur tres substantiæ, seu Personæ, non autem vna Trinitatis substantia secundum Sabellium.* Ambrosius in Symbolum Apostolorum, cap. 2. dicit: *Sabellius docuit vnam substantiam esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnamque trinominem Personam. Sed dum omnes vnam esse Personam reputat, nihil esse vnamque designat; ergo Theodoretus, & Ambrosius docet ad Sabellianum errorem spectare ponere vnam substantiam, & vnam Personam, ac pro eodem sumunt substantiam, & Personam.* Hilarius lib. de Synodis post Canon. 27. Syrmienensis Synodi dicit: *Non vnum substantem, sed vnam substantiam non differentem; ergo sicut fateatur Deum esse vnam substantiam propter unitatem essentia, sic negat esse vnam substantiam propter distinctionem substantiarum; ergo Concilia, & Patres, sicut contra Arrianos negat in Deo tres essentias, & naturas, sic negat vnam substantiam, hypostasim, & Personam.*

21. Probatur secundo conclusio: nam Patres tum Græci, tum Latini loquentes de Trinitate, & incarnatione pro eodem sumunt substantiam, hypostasim, & Personam; ergo sicut nefas est ponere in Trinitate vnam hypostasim, & vnam Personam communem, sic nefas est ponere vnam substantiam communem: & sicut in Christo nefas est ponere duas hypostases, ac duas Personas, sic nefas est ponere duas substantias. Probatur antecedens, afferendo testimonia Patrum. Athanasius Serm. in Euang. de Sanctissima Deipara dicit: *Hypostasis sua interpretatione designat id, quod subsistit.* Theodoretus in Breuiario Liberati in cap. ultimo additionum dicit: *Substantia, & Persona in nullo significatorum differunt, nisi nomine. Alia testimonia vide apud Ruiz disp. 33. sect. 3.*

22. Probatur tertio: nam quia Deus est trinus, & vnus, Concilia, & Patres ad vitandam confusionem, aliqua nomina adaptarunt ad significandum in Deo ea, quæ multiplicantur, & id quod non multiplicatur: & ad designanda ea, quæ multiplicantur adaptarunt nomina Personæ, hypostasis, & substantiæ; ad designandum id, quod est vnum, adaptarunt nomina naturæ, essentia, Deitatis &c. ergo sicut non debemus dicere dari in Deo tres naturas, & essentias proprias, sic non debemus dicere dari vnam hypostasim, vnam Personam, & essentiam communem. Confirmatur, nam sicut in Christo non debemus ponere vnam naturam, & vnam essentiam, sic non debemus ponere duas Personas, duas hypostases, & duas substantias; ergo sicut in Deo non debemus ponere tres naturas, & essentias, sic non debemus ponere vnam hypostasim, vnam Personam, & vnam naturam.

23. Probatur quartò: nam Patres tum Græci, tum Latini vnanimiter docent hypostasim

statim, subsistentiam, & Personam per hoc differre à natura, & essentia, quod natura, & essentia significat aliquid commune, hypostasis, Persona, & subsistentia significat id, quod est proprium vnus tantum: ergo est contra rationem subsistentiæ, quod sit communis pluribus Personis. Probatur antecedens primo auctoritate Iustiniani Imperatoris, qui in Edicto Fidei non multo ante medium dicit: *Omnes Sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, siue substantiam, & formam, & aliud subsistentiam, siue Personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam hoc, quod est commune, significare: subsistentiam autem, siue Personam hoc, quod est speciale.* Concilium Florentinum scilicet 18. paulo post medium tacite approbat id, quod Græci cum Latinis vnanimiter supponebant ex Gregorio Nazianzeno, & Basilio, substantiam à Persona differre, vt communicabile ab incommunicabili, & vt commune à proprio. Probatur secundò idem antecedens, afferendo testimonia Patrum. Basilijus Epist. 43. ad Gregorium Nyssenum dicit: *Hæc igitur est hypostasis, non indefinita illa res animi conceptio, quæ nullam nascitur fixæ cogitationis stationem per communionem significati, sed quod in re aliqua commune, & indeterminatum est, per proprietatem declarationem agnoscendum offert, & describit.* Athanasius Dialog. 1. de Sancta Trinitate contra Anomæum dicit: *Si quid essentia proprium, id quoque commune est hypostasis, quæ essentia subsunt.* Hypostasis autem præterquam quod numerum non admittit, proprietatem habet minime communem hypostasis, quæ essentia subsunt: & infra explicat hoc exemplo dicens: *Humanitas est omnium hominum communis: Hypostasis verò est vniuersiusque proprietatis.* Et Sermon in Euangelium Sanctissimæ Deiparæ: *Cum communiter à multis istiusmodi considerantur, substantia nuncupatur: cum in vnum proprie conferretur, Persona, siue subsistentia nominatur.* Cyrillus Alexandrinus Dialog. de Trinitate lib. 1. post medium: *Substantie declaratio videtur sicut commune, & vniuersale quiddam esse: nomina verò substantiarum singularum sub illo vniuersali prædicantur, ac dicuntur.* Theodoretus in Dial. immutabilis lib. 1. *Si Patrum doctrina spectatur, quam habet differentiam commune, & proprium, vel genus, & species, eandem habet substantia, & hypostasis.* Damasc. lib. 1. de decretis primæ institutionis, cap. 2. dicit: *Quoniam multi sunt homines, vnusquisque homo est hypostasis, id est res per se constans:* & lib. 3. de fide, cap. 4. *Hypostases diuinas appellat particulariores, Deum vniuersaliorem.* Vide alios Patres apud Ruiz disput. 3. 2. sect. 6.

24. Probatur quintò ratione desumpta ex allatis auctoritatibus. Subsistentia enim in concreto est ens substantiale sistens in se, ita ut non sit communicabile, & prædicabile de pluribus: subsistentia in abstracto est, per quam ens substantiale constituitur sistens in se, & non communicabile pluribus, & de pluribus prædicabile: sed in Deo omnia absoluta sunt

communicabilia, & prædicabilia de pluribus, hoc est de tribus Personis; ergo in Deo non datur vna subsistentia absoluta, neque in concreto, neque in abstracto. Confirmatur, nam ideo Spirator non est subsistentia absoluta in concreto, quia non sistit in se, sed communicatur pluribus, hoc est duabus Personis, Patri nimirum, & Filio: ideo spiratio actiua non est subsistentia in abstracto, quia constituit Spiratorem communicabilem, & prædicabilem pluribus, hoc est duabus Personis; sed omnia absoluta communicantur tribus Personis, ac de illis prædicantur; ergo nullum absolutum est subsistentia in abstracto, neque in concreto.

25. Probatur sextò ex absurdo. Nam si daretur in Deo vna subsistentia absoluta communis tribus subsistentiis relatiuis, daretur vnum suppositum absolutum commune tribus suppositis relatiuis; consequens est absurdum; ergo &c.

26. Respondent primo aliqui auctores, quos tacito nomine referunt, & impugnant Henricus quodlibet 5. quæst. 8. & Durandus in 1. distinct. 26. quæstione prima, concedendo dari in Deo suppositum absolutum commune tribus Personis. Carthusianus etiam in 1. distinct. 26. quæst. 7. asserit, quod qui probabiliter defenderet dari in Deo suppositum absolutum, & absolutam personalitatem, non idcirco teneretur concedere dari in Deo quatuor Personas. Persona enim absoluta non est quarta, cum non distinguatur realiter à tribus Personis relatiuis.

27. Sed contra: nam in Concilio Nicæno lib. 2. de actis ante decretorum constitutionem dicitur: *Diuinitas non est vna Persona, vt Iudæi opinantur, sed tres Personæ verè subsistentes.* Rursus explicatio fidei, quæ inscribitur Cyrillo Alexandrino, & Anastasio Theopolitano dicit: *Cum vnā essentiam, vel vnā naturam dicimus, non dicimus vnā hypostasim, ne Sabellianizemus.* Ecclesia in Præfatione Missæ de Trinitate canit, non vnius singularitate Personæ. Confirmatur ex Patribus allatis num. 13. & sequentibus, qui expressè dicunt sententiam, quæ dicit dari in Deo vnā hypostasim, vel vnā Personam communem, spectare ab Sabellianismo. Ideò Eymericus in directorio Inquisitorum, parte 2. quæst. 2. artic. 7. inter errores Raymundi Lullij ponit hunc: *In diuinis est dare commune suppositum, quod responderet secundum suam naturam rationibus diuinis in producendo bonum, & artic. 12. Deus Pater in quantum Pater est suppositum singulare, sed in quantum responderet suis rationibus ad producendum Filium, est suppositum commune.*

28. Respondet secundo Caietanus 3. parte quæst. 2. art. 2. subsistentiam absolutam non esse suppositum, neque Personam, quia ad suppositum, seu Personam requiritur, vt non sit communicabilis pluribus, sed esse semisuppositum, seu semipersonam. Concedit ergo Caietanus in Deo dari tria supposita, & tres Personas

sonas singulares, ac dari semisuppositum, & semipersonam communem.

29. Sed contra primò, quia ante Caietanum est prorsus nouum, & inauditum in Ecclesia, quod in Deo dentur tres Personæ singulares, & præterea semipersona, & semisuppositum commune. Secundò subsistentia, apud Patres sumitur pro eodem, ac suppositum; ergo si daretur subsistentia communis, non solum daretur semisuppositum, sed etiam integrum suppositum commune: sed hoc suppositum, cum esset suppositum naturæ rationalis, esset Persona; ergo daretur etiam Persona communis. Tertio ideo Caietanus negat dari in Deo suppositum commune, & Personam communem, quia de ratione suppositi, & Personæ est incommunicabilitas; sed etiam de ratione subsistentiæ est incommunicabilitas; ergo neque datur subsistentia absoluta, & communis, ac communicabilis pluribus.

30. Respondent alij tertio, Scholasticos nomen subsistentiæ sumere in sensu diuerso à Patribus, in quantum significat substantiam perfectè existentem independentem ab omni alio, & omnino perfectam, & sistentem in sua perfectione, ita vt non sit ulterius perfectibilis, & possit per se ipsam perfectè operari; sed hæc omnia prædicata conueniunt diuinæ essentiae, præciscendo à relationibus; ergo diuina essentia per se ipsam est subsistentia absoluta communis tribus Personis.

31. Sed contrà, nam non solum Patres, sed etiam Scholastici communiter nomine subsistentiæ intelligunt: *Ens substantiale incommunicabile, & non prædicabile de pluribus*; ergo non licuit aliquibus hoc nomen sumere in alio sensu, & ponere in Deo subsistentiam communem contra modum loquendi Patrum, sicuti non licet ponere suppositum commune, vel Personam communem. Videri potest Ruiz disput. 34. sect. 5.

32. Ad 1. concedo maiorem, & distinguo minorem: subsistere formaliter est perfectio simpliciter simplex, nego: subsistere radicaliter, concedo; & distinguo eodem pacto consequens. Simili argumento posset contra aduersarios probari deitatem per se ipsam, præciscendo à personalitatibus, esse Personam. Sicut ergo aduersarij dicunt, quod esse Personam radicaliter, hoc est esse radicem adæquatam relationum, est perfectio simpliciter simplex, at esse Personam formaliter, non est perfectio simpliciter simplex, ac proinde deitas secundum se præcisè est Persona radicaliter, non formaliter; sic nos dicimus, quod subsistere radicaliter est perfectio simpliciter simplex, subsistere formaliter non est perfectio simpliciter simplex, ac proinde deitas per se ipsam subsistit solum radicaliter.

33. Ad 2. concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo deitas per se ipsam subsistit radicaliter, concedo: formaliter, ne-

go. Deitas est radix adæquata trium subsistentiarum, illasque dat suppositis; ergo proculdubio illas non mendicat à supposito: nam nemo mendicat per hoc, quod det. Ex hoc autem non sequitur deitatem per se ipsam subsistere formaliter, sed solum radicaliter. Confirmatur solutio. Nam deitas non mendicat personalitatem; ergo sicut ex hoc non sequitur, quod deitas per se ipsam præcisè sit Persona formaliter, sic non sequitur, quod per se ipsam præcisè subsistat formaliter.

34. Ad 3. distinguo maiorem: deitas per se ipsam est vltimo completa, & perfecta, quoad omnes perfectiones simpliciter simplices substantiæ, concedo; quoad omnes perfectiones etiam simplices primæ substantiæ, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deitas per se ipsam est vltimo completa in ratione substantiæ secundæ, siue essentiæ, & per se ipsam est vltimo completa in ratione substantiæ primæ, ita vt habeat omnes perfectiones simpliciter simplices substantiæ primæ, sed non ita, vt habeat formaliter omnes perfectiones etiam simplices substantiæ primæ, vt explicatum est quæstione 109. num. 63. sed hoc quod est *subsistere, esse Personam, esse suppositum &c.* addit supra essentiam perfectionem solum simplicem, non autem simpliciter simplicem, vt dictum est quæst. 109. num. 63. ergo deitas sicut per se ipsam præcisè non est suppositum, neque Persona, sic per se ipsam non subsistit formaliter.

35. Ad 4. distinguo maiorem: subsistere nihil aliud est, quam substantiam existere incommunicabiliter independentem à quocunque alio, cui inexistat, & à quo sustentetur, concedo; quam existere communicabiliter, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ex dictis num. 24. subsistere est existere incommunicabiliter, & tanquam aliquid, quod non possit communicari pluribus, ac prædicari de pluribus; sed essentia diuina per se ipsam præcisè existit quidem independentem à quocunque alio, sed vt communicabilis tribus Personis, & vt de ipsis prædicabilis; ergo non subsistit per se ipsam, sed subsistit ratione trium subsistentiarum relationum.

36. Ad 5. concedo maiorem, & distinguo minorem: Deus in concreto est substantia subsistens in suis suppositis, concedo; est substantia subsistens præcisè per id, per quod est Deus communicabilis, & prædicabilis de pluribus suppositis, nego: & nego consequentiam. Homo in concreto est substantia subsistens in suis suppositis, & indiuiduis, nimirum Petro, Paulo &c. & non est substantia subsistens per id præcisè, per quod est homo, ideoque ex Aristotele in prædicamentis, cap. de substantia, homo non est prima substantia, sed est secunda substantia prædicabilis de pluribus substantijs; ergo etiam Deus in concreto est substantia subsistens in tribus suppositis,

fitis, nimirum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non autem est substantia subsistens per illud præcisè, per quod est Deus communicabilis tribus suppositis, ideoque Deus per se ipsum præcisè est secunda substantia, non autem prima substantia.

37. Dices: *Hic homo* est substantia per se subsistens; ergo *hic Deus* est substantia per se subsistens; sed deitas per se ipsam præcisè non solum est Deus, sed etiam est *hic Deus*; ergo deitas per se ipsam præcisè subsistit.

38. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. *Hic homo* ideo est substantia per se subsistens, quia non est communicabilis pluribus suppositis, neque prædicabilis de pluribus suppositis; sed *hic Deus* est communicabilis pluribus suppositis, ac de illis prædicabilis; nam Pater est *hic Deus*, Filius est *hic idem Deus*, Spiritus Sanctus est *hic idem Deus*; ergo *hic Deus* non est per se ipsum præcisè substantia per se subsistens, seu prima substantia, sed solum est secunda substantia. Addo, quod si *hic Deus* supponat pro supposito determinato, puta pro Patre, est suppositum; sed Deitas secundum se præcisè non est *hic Deus Pater* ex. gr. sed est *hic Deus Pater* per paternitatem. Addo rursus etiam, hoc argumentum retorqueri posse ad probandum dari in Deo suppositum commune, & Personam communem. Nam deitas per se ipsam præcisè est Deus, & est *hic Deus*; sed *hic Deus* est suppositum, & Persona; ergo deitas per se ipsam præcisè est suppositum, ac Persona, quod ab aduersariis negatur.

39. Sed quæres primò, quare deitas sit Deus, humanitas autem non sit homo?

40. Respondeo, quod primò deitas est Deus in sensu reali; humanitas autem non est homo in sensu reali. Ratio est, quia homo est totum addens supra humanitatem supposititalitatem distinctam; ergo humanitas cum distinguatur à sua supposititalitate, non est homo: at Deus nihil addit realiter distinctum, à deitate; ergo deitas realiter est Deus. Et quia Gilbertus Porretanus docuerat Deum addere aliquid realiter distinctum à deitate, ideoque deitatem non esse Deum, sicut humanitas non est homo, ideo contra illum Concilium Rhemense constituitur diuinitatem esse Deum. Secundo dico, quod deitas etiam per se ipsam præcisè, prout præcindit à personalitatibus virtualiter ab ipsa distinctis, est Deus. Ratio est, quia nomen Dei significat primam causam, primam rationem, & radicem, primum principium continens in se eminenter omnia alia; sed deitas per se ipsam habet hæc omnia; ergo deitas per se ipsam præcisè est propriissimè Deus, Personæ autem, & personalitates sunt Deus, in quantum sunt realiter deitas. In hoc sensu humanitas non est homo, quia non continet eminenter perfectionem totius, quod est homo.

41. Ad 6. distinguo maiorem: actiones sunt subsistentium, tanquam principij quod

concedo; tanquam principij quo, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Actiones sunt subsistentium, suppositorum, & Personarum tanquam principij quod, & sunt naturarum, tanquam principij quo; sed tres Personæ intelligunt, volunt, creant, gubernant mundum ratione naturæ, quæ est principium quo talium actionum; ergo saluatur illud principium. Confirmatur solutio: nam actiones non solum dicuntur subsistentium, sed etiam suppositorum, ac Personarum; ergo argumentum allatum probaret deitatem secundum se præcisè esse suppositum commune, & Personam communem, quod ab aduersariis negatur.

42. Ad 7. distinguo maiorem: si deitas non haberet tres subsistentias relatiuas, adhuc perfectissimè subsisteret per se ipsam, & haberet omnia prædicata, quæ nunc habet, nego; & haberet aliquod prædicatum oppositum, alicui prædicato, quod nunc habet, concedo maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Deitas de facto habet prædicatum communicabilitatis, & prædicabilitatis de tribus Personis, ideoque non subsistit per se ipsam. Si autem non haberet tres subsistentias relatiuas, haberet oppositum prædicatum incommunicabilitatis, ideoque subsisteret per se ipsam; ergo ex eo, quod tunc subsisteret per se ipsam, quia esset incommunicabilis, non potest argui, quod nunc subsistat per se ipsam, cum sit communicabilis. Porro nunc, quia habet prædicatum communicabilitatis, existit non minus, sed magis perfectè, quam tunc, cum haberet prædicatum incommunicabilitatis; at ex hoc non sequitur, quod nunc subsistat per se ipsam, sicut tunc. Confirmatur solutio, nam simili argumento probari posset deitatem per se ipsam esse Personam, & suppositum, quod aduersarij non concedunt. Nam si deitas non haberet tres personalitates relatiuas, adhuc esset Persona per se ipsam: sed nunc non existit minus perfectè, quam existeret tunc; ergo etiam nunc per se ipsam est Persona. Ex retorsionibus allatis confirmatur nostra sententia. Nam argumenta, quibus aduersarij probant dari in Deo subsistentiam absolutam, probant etiam dari suppositum absolutum, & Personam absolutam communem tribus Personis, quod aduersarij non admittunt.

43. Ad 8. ex auctoritate respondeo auctoritates allatas non concludere intentum. Ad testimonium ex Epistola Agathonis, respondeo non esse legendum *trium subsistentiarum unam subsistentiam*, sed *trium subsistentiarum unam substantiam*, vt notauit Iouerus in summa Conciliorum, & legitur in emendationibus exemplaribus.

44. Secundo opponitur Basilius hom. 27. de Spiritu Sancto, ubi dicit: *Spiritus ex Deo promanans eiusdem cum illo substantia*.

45. Respondeo illam non esse peculiarem Homiliam, sed esse fragmentum, seu caput

ultimum lib. 5. aduersus Eunomium, ideoque illa Homilia non ponitur in codice Græcolatino Parisijs edito anno 1618. Porro in citato codice latino, & in alijs antiquioribus codicibus loco verborum *eiusdem cum illo subsistentia*, legitur, *verum ipse, Spiritus Sanctus nimirum, à Deo manans subsistit*.

46. Tertio opponitur Augustinus, qui lib. 7. de Trinit. cap. 4. dicit: *Omnis res ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus? & cap. 5. Hoc est Deo esse, quod subsistere, & ideo si una essentia Trinitas, una substantia; ergo ponit in Deo substantiam absolutam*.

47. Respondeo, quod Augustinus per *ly subsistere* significat *habere esse substantiale*, ac docet, quod tale esse substantiale est absolutum, ac non relatiuum, ideoque non concludit in Trinitate esse vnā substantiam, sed esse vnā substantiam, sicut est vna essentia. Ad significandum autem hoc, quod est *habere esse substantiale*, vsus est vocabulo *subsistendi*, quia non inuenit aliud vocabulum vnum, quo id significaret.

48. Quartò opponitur Hieronymus, qui Epist. ad Damasum dicit: *Taceant tres hypostasies, vna teneatur*. Athanasius etiam, Epiphanius, Marius Victorinus, Concilium Sardicene, Liberius Papa, Paulinus Theſsalonicensis, Acacius, & ipse Augustinus locis citatis à Ruiz disput. 31. sect. 3. dicunt in Deo dari vnā hypostasim; sed hypostasis idem est ac substantia; ergo.

49. Respondeo, quod cum Patres dixerunt in Deo dari vnā hypostasim, nondum erat exploratum, vtrum vox *hypostasis* significet substantiam, seu essentiam, vel substantiam, ideoque nomine hypostasis intelligendo substantiam, seu essentiam, posuerunt vnā hypostasim, negarunt tres hypostasies. At postquam exploratum fuit nomen hypostasis non significare essentiam, seu substantiam communem, sed substantiam propriam, vnam, concederunt tres hypostasies, negarunt vnā hypostasim; ergo semper, & vnamiter negarunt vnā substantiam absolutam.

50. Sed potest vrgeri; nam in fragmento Epist. Liberij ad Athanasium habetur *vna substantia*.

51. Dicendum, quod Græcè semper habetur vnā hypostasis, & sumitur hypostasis pro essentia, seu substantia. Interpres autem aliquando vertit substantiam, aliquando *subsistentiam*, cum debuisset semper vertere substantiam. Nam constat ex contextu, Liberium in ea Epistola nomine hypostasis semper significare essentiam, seu substantiam.

52. Quinto opponitur Dionysius cap. 1. de Diuinis nominibus dicens: *Bonitatis substantiam per suum esse, causam esse omnium subsistentium*.

53. Respondeo primo, quod Perionius, in codice Græcolatino verba illa vertit: *Bonitatis essentia hoc ipso, quod est, eorum, quæ sunt, causa est omnium*. Addo, quod etiam si verba illa legantur priori modo, nihil

aliud significant, nisi quod bonitas diuina, quæ subsistit, est causa aliorum subsistentium, sed non dicit, quod bonitas diuina subsistat substantia absoluta, sed solum dicit, quod verè subsistat; hoc autem verificatur per hoc, quod subsistit in tribus Personis, ac tribus subsistentiis relatiuis.

54. Sextò opponitur Athanasius lib. de Incarnatione Christi dicens: *Increata sola diuinitatis substantia intelligitur*; & Nyssenus lib. de vita Moysis dicens *nihil præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, & à qua omnia dependent, verè subsistere*; cui consonat Hieronymus epist. 54. ad Damasum dicens: *Vna est Dei & sola natura, quæ verè est: Id enim quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est*. Et in comm. Epist. ad Ephesios cap. 3. in illa verba ex quo omnis paternitas in Cælo, & in terra nominatur, dicit: *Deus non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit*.

55. Respondeo citatos Patres, dum dicunt solam diuinam essentiam verè esse, ac verè subsistere, nihil aliud significare, quam solum Deum existere, & subsistere ita perfectè, & independentem ab omni alio, vt comparatione ipsius creaturæ verè non existant, & non subsistant, iuxta illud ipsius Dei ad Moysen Exodi 3. *Ego sum qui sum*. At non dicunt essentiam diuinam verè subsistere per substantiam absolutam distinctam à relatiuis, sed ad summum dicunt, quod substantiam habet à se, quod est verissimum, cum diuina essentia sit ratio, & radix virtualis trium subsistentiarum relatiuarum.

56. Septimo opponitur Hilarius lib. 5. de Trinit. propè finem dicens: *Et indiuisus, & inseparabilis non ex Persona, sed ex natura subsistens ex Patre vnigenitus intelligatur*; ergo docet Filium formaliter subsistere per naturam diuinam.

57. Respondeo, negando consequentiam. Hilarius per ea verba non significat Filium, subsistere formaliter per naturam Patris, sed solum significat Filium, qui est suppositum, subsistens, & distinctum à Patre, esse indiuisum, inseparabilem, & vnum cum Patre in natura, cum sit distinctus in persona.

58. Octauo opponitur Cyrillus Alexandrinus, & Anastasius Patriarcha Theopolitanus in defensione fidei, quæ vtrique inscribitur dicens: *Quid est essentia? Res, quæ per se est, neque altero inuiget, adhuc vt ipsa subsistat*. Isidorus etiam lib. 2. de differentiis cap. 4. substantiam definit: *Id, quod non ab alio, sed semper ex se est, id est quod propria in se virtute subsistit*; ergo existimant diuinam essentiam, & substantiam per se ipsam subsistere substantia absoluta.

59. Respondeo, negando consequentiam. Nam citati auctores solum dicunt diuinam essentiam, & substantiam non accipere existentiam, & substantiam ab alio, sed propria virtute subsistere, quod est verissimum. Nam diuina essentia à se ipsa, & non ab alio habet tres substantias relatiuas, quibus subsistit in tribus Personis.

60. Nono opponitur Leo Magnus serm. 1. de

de Pentecoste, cap. 3. dicens: *Spiritus Sanctus ex eo, quod est Pater, Filiusque subsistens*; ergo existimat Spiritum Sanctum subsistere per subsistentiam communem Patri, & Filio.

61. Respondeo negando consequentiam. Nam per ea verba significat solum, quod Spiritus Sanctus subsistit ita, ut subsistentiam habeat à Patre, & Filio, & ut subsistat in natura Patris, & Filij, & subsistentia debita tali naturæ, tanquam radici virtuali.

62. Decimo opponitur Boetius lib. de duabus naturis propè medium dicens: *Deus est hypostasiz, idest subsistentia. Subsistit enim nullo indigens. Unde dicimus unam esse essentiam, vel essentiam, idest essentiam, vel subsistentiam divinitatis.*

63. Respondeo, quod ibi subsistentiam sumit pro existentia substantiali: cum verò loquitur de subsistentia stricta, docet illam debere esse incommunicabilem, & non prædicabilem de pluribus.

64. Undecimo opponitur Anselmus in Monologio, cap. 43. dicens, quod Pater gignendo Filio dedit, ut non per extraneam, sed per suam essentiam, sapientiam, & vitam subsistat, sapiat, & vivat; alioquin non erit idem Patri filius, nec erit par Patri Filius: quod quam falsum sit, liquidissime superius permissum est. Quare non repugnat filium, & subsistere per se, & esse de Patre, quia hoc ipsum, idest per se ipsum posse subsistere, necesse est illum de Patre habere; sed Filius sapit, & vivit per vitam communem Patri; ergo subsistit etiam per subsistentiam communem Patri, ac proinde absolutam.

65. Respondeo Anselmum solum docere, quod Filius omnia, quæ habet, ita accipit à Patre, ut habeat etiam à se identicè, cum sit ipsa essentia, quæ à se habet omnes perfectiones etiam relativas, utpotè prima ratio, & radix virtualis omnium perfectionum, ut explicatum est supra, quæst. 22. num. 17. Inter alias autem perfectiones, quas Filius habet à se identi-

cè, enumerat etiam perfectionem subsistendi. At non dicit subsistentiam esse absolutam, & communem.

66. Duodecimo opponitur Richardus lib. 4. de Trinit. cap. 20. dicens *Personas rectius appellari existentias, quam subsistentias.*

67. Respondeo Richardum docere, quod attenda nominis etymologia, personæ rectius appellantur existentia, quia verè existunt, quam subsistentia, siquidem verè non subsunt. Concedit tamen tres Personas posse appellari tres subsistentias, sicut appellantur tres substantia incommunicabiles.

68. Decimo tertio ex Capreolo in 1. dist. 26. quæst. 1. art. 1. conc. 3. & art. 3. opponitur S. Thom. qui 1. part. quæst. 29. art. 4. & quæst. 40. art. 2. & 4. contra Gentes, cap. 14. & 15. & alibi sæpè docet relationes in ratione relationum distinguere Personas, sed eas non constituere in ratione subsistentium, in quantum relationes sunt, sed quatenus identificantur cum essentia; ergo existimat rationem formalem subsistendi esse essentiam communem.

69. Respondeo S. Thomam docere solum; quod in relationibus divinis possunt considerari duæ formalitates. Prima est præcisa formalitas relationis realis abstrahens ab hoc, quod sit substantialis, vel accidentalis, & hæc sufficienter distinguit unam Personam ab alia, puta Patrem à Filio, sed non constituit Patrem ut Personam subsistentem, nam Persona subsistens debet constitui per aliquid substantiale. Secundo possunt considerari relationes, & substantiales, & subsistentes per hoc, quod identificentur realiter cum divina essentia, & ut tales non solum distinguunt unam Personam ab alia, sed etiam constituunt Personas ut subsistentes, Patrem nimirum ut subsistentem per hoc ipsum, quod sit Pater &c. plura vide apud Ruiz disput. 32. sect. 8. & 9.

